
VACATIONVM EPIDIMIALIVM
PARS SECVNDA.
Siue
CONCLVSIONES PRO MONIALIBVS
cum Illustrationibus.

AVCTORE GEORGIO POLACCO VENETO,
Monialium Vicario.

Eminentissimo, ac Reuerendissimo D.
D. FEDERICO CARDINALI CORNELIO
Venetiarum Patriarchæ, &c. D.



VENETIIS, MDCXXXIII.
Ex Typographia Pinelliana.
Superiorum Permissu.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE,

D. Summa obſeruantia Colende.

AVdet hic libellus tuum ſibi auguſtum nomen inſcribere, non ſui, non Auctoris, ſed argumenti fiducia, pro Sacris Virginibus quippe ſcriptus; quarum ſemper magna fuit in Chriſtiana Republica maieſtas; quin & inter Ethnicos locus honoratus. Nam & Romæ Veſtalium erat pęnè ſenatoria dignitas, & apud Græcos quoque in precio Virginitas fuit, rara tamen, ideoque cara Virginitas. Sed flores illi, quos vix ſingulos integra regna Gentilium conſpexere, totos Eccleſiæ campos, præſertim de ſanguine Dominico recens irrigua noualia occuparunt. Hinc Sancti Patres pronuntiare non verentur, Chriſtum fuiſſe primum ducem, & doctorem Caſtitatis, primum ſcholam aperuiſſe continentię, primum tanti ornamenti ſplendorem ante omnium oculos poſuiſſe. Dum vacarem domi ob ingruentem peſtiferæ luis illuuiem, hæc pro ſacrarum Virginum regimine exaraui, quaſi præſagirem

animus, & te Venetæ Vrbis Patriarchatum adepturum, & me sub te ipsarum Virginum curam, & gubernationem. Exitus præsagium probauit. Suscipe igitur, Cardinalis Eminentissime, opusculum tibi iustis de causis debitum, & me tibi tam multis, ac magnis nominibus deuinctum, tua auctoritate adiuuare, ac tuis prudentissimis monitis instituere, & erudire ne cesses. Melior est portio gregis Christi hæc cælestis in terra Ciuitas, & hoc perpetuum inter homines miraculum, vnde maior est adhibenda in hac custodienda cura, ac vigilantia. Admiror equidem, & obstupesco, dum te cum hisce Virginibus loquentem audio, nam quod loquendo præcipis, tua eloquentia, & benignitate adiuuas, vt fiat; Et si quas forte ex ipsis aut ignorantia suæ professionis, aut temporum improbitate ab officij limine transuersum actas reperis, nihil illis præter peccandi licentiam adimis. Non enim te latet, Prælatum, si ouinam induat mansuetudinem, facile lupos etiam in oues conuertere posse. Macte ergo isto zelo, Præsul Amplissime, sic enim hasce castitatis Margaritas à plagiarijs hominibus custodies, & ipsas cælesti sponso præsentabis, quibus nil carius ei præberi potest. Sicubi namque ille viderit Castimoniam, velut amoris sui illicium, & Iyngem, lubentius aduolat, quam Poeticus Iuppiter ad Veneris cestum, ad Iunonium fucum, &

rega-

regalem paratuſam. Vbi Deus, ibi pudicitia, vt grauiſſime dictum à Tertulliano. Et Iſidorus Aegyptius doctus à Deo non dubitauit aſſerere, Numen diuinum aptiorem ſibi nullam, ac familiariorem ſedem conſtituiſſe, quam puram, & caſtam animam. Quis igitur contemnat (vt quod de Hebræis dictum ad noſtras transferam) Sanctimonialium Cænobia, quæ mulieres Deo tam proximas habent, vt non pro eis merito, & pugnare, & mori etiam debeamus? Sed ne te morer teneamq; diutius, ad ipſas Sacras Virgines mea ſe conuertat oratio, cum Bernardo dicendo, ſolere Virgines, quæ Virgines ſunt, ſemper eſſe pauidas, & numquam ſecuras, & vt timendo caueant, etiam tuta pertimeſcere. Legiſſe me memini, B Martinum ſanctitatis cuiuſdam Virginis fama pertractum, inuiſere eam aliquando ſtatuiſſe, illam vero renuiſſe, precatam tantum, vt ille pro ſe Dominum oraret; ac ne miraretur de hoc, quoniam à viro numquam fuerat antea viſitata. Commendauit vir Dei Martinus prudentiam Virginis, & quod tantopere virorum conſpectum formidaret, vehementer probauit. Hinc eſt, quod etiam Gentiles Bonam Deam ferant fuiſſe caſtiſſimam, quippe quæ numquam fuerit egreſſa domo, neque virum viderit, dum vixit, vllum. Et idcirco ab eius Sacris Romæ vſq; adeo mares arceri ſolitos, vt & picturę maſcu-

lorum

lorum regerentur, ne forte muliebris animus inter sacrificandum ex huiusmodi inspectione impudicis desiderijs fædaretur. Virginis hæc nota est, ac consignatio, viri consortia fugere, aspectum, quantum illifas, declinare. Quare S. Ioan. Damascenus de B. Virgine loquens, sic ait, Virgo Angeli ore conterrita est, vt quæ cum viris colloqui minime consueuisset, siquidem Virginitatem sedulo seruare constituerat. Non ergo constituit, quæ passim cum viris sermones serit, & colloquia nulla necessitate, nulloque compendio producit. Sed non producam ego longius hanc prefaciunculam. Vale igitur, & viue, Antistes præclarissime, Ecclesiæ tuæ, & præcipue Sacræ huic familiæ, quam, vt inquit Hieronymus, statim ac filius Dei ingressus est super terram, sibi nouam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos in terris.

Venetijs Ipso Die Festo Panis Electorum, & vini Virgines germinantis.

Reuerendissimæ Eminentiæ Tuæ.

Addictissimus, & Obsequentiss.

Georgius Polaccus.

Approbatio.

IVssu Reuerendissimi Patris Magistri Hieronymi Quintiani, in toto Serenifs. Reip. Venetæ Dominio Generalis Inquisitoris, librum, cui titulus est, Vacationum Epidemialium secunda Pars, Auctore Georgio Polacco Veneto, non absque ingenti animi mei voluptate, perlegi. Nihil in eo offendi, quod aures piorũ offendat. Multum, quod Christianam pietatem redoleat, quod Regularem disciplinam ædificet, vtpote Sacrorum Canonum, Sanctissimorum Pontificũ decretis, Eminentissimorum Sacros. Concil. Trid. Interpretum, Oraculis, ac Sacræ Theologię, Sacrique Iuris professorum sana doctrina perfusum. Ne ergo tanta lux diutius sub modio lateat, sed supra candelabrum affulgeat, in Virginum Deo Sacrarum, eorumve curam gerentium, immo & totius Christianæ Reip. commodum, atque decus, vt typis mandetur, alacriter censeo.

Ex nostris Aedibus Sancti Nicolai Tolentinatis almæ Vrbis Venetiarum. Non. Februarij. Anno CHristi M. D C. XXXIII.

Benedictus Bassus Congr. Cleric. Regul. S. T. D.

EAdem mihi de hoc eodem libro mens, censio eadem, iudicium idem; Ab eodem Reuerendiss. P. Inquisitore iussus illum euoluere, lubens euolui; nihil contra fidem in eo deprehendi, nihil contra bonos mores; quin cuncta hic bona, cuncta hic bene, ac dignissimus mihi visus, qui editus videatur ab omnibus, omnium manibus tereretur; Multum referre in lucem librum prodire, qui eruditione tam multa, tam varia, tam proficua refertus est. Ita censeo, & hac mea subscriptione firmo.

Ex Aedibus nostris Sancti Nicolai Tolentinatis V. Id. Februarij 1633.

Ego Aloysius Nouarinus Clericus Regularis. S. T. P.

Ad

IESVS, MARIA, HIERONYMVS.

CONCLVSIONES PRO MONIALIBVS,
Cum Illustrationibus.

De Nouitijs. *Cap. I.*

1 *Monialium Institutum antiquissimum, ac perpetuum in Ecclesia fuit.*

ILLVSRTATIONES.

C*HASSANAEVS In suo Catalogo Gloriæ Mundi 4.p.consid.*72. Qui ait, harum institutum esse vetustius, quam quæuis alia Monachorum religio: Matthæus namque Iphigeniam, Paulus Teclam, & Petrus Petronillam Virgines consecrarunt. De Marta etiam legimus Massiliæ Collegium Virginum congregasse, cum quibus vsque ad mortem sanctissime vixit. Theophila propè annum trecentesimum Nicomediæ multa Virginum regebat monasteria; eodemq; ferè tempore in Hispania floruisse sanctimonialium Virginum statum ex *Elibertino Conc. cap.*13. *&* 27. colligimus. Exstant & antiquorum Patrum testimonia de his Virginibus Sacris, ac velatis, qui omnes

de harum ſtatu loquuntur, vt de re antiqua, etiam ſi ipſi antiquiſſimi ſint, & propè Apoſtolorum tempora.

2 *Poſſunt puellæ recipi à ſuperioribus Monialium intra clauſurã, vt ſuo tempore profiteantur, etiam ſi ſint minores duodecim annis.*

ILLVSTRATIONES.

S*Anchez in Decalog. lib.* 4. *c.* 18. *num.* 34. Vbi probat, id *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regolar. c.* 17. non contradicere, quippe ibi nil de puellæ ad religionem admittendæ ætate decernitur, ſed de examine voluntatis præmittendo, quando ingrediens fuerit maior duodecim annis, & ita ſub conditione loquitur, ibi, *ſi maior duodecim annis fuerit,* quæ nihil ponit in eſſe. Immo id decretum clare ſupponit, minorem ea ætate ſuſcipi poſſe. Alias non loqueretur ſub conditione, ſi maior duodecim annis fuerit.

Michael Metina de Sacrorum hominum continentia lib. 4. *controu.* 9. *c.* 4. Latiſſime idem probat, & dicit nil alienius à Sacræ Synodi mente excogitari poſſe, quam cõtrarium velle tueri. Et ait, ſe interfuiſſe illi Decreto, atque attentiſſimis auribus ſuffragia omnium Epiſcoporum accepiſſe, & nil tractatum fuiſſe de ſola puellarum maiorum duodecim annis ad religionem admiſſione.

Quare optime concludit, duo in eo Decreto ſtatui. Alterum eſt, vt ſi puella ingrediens ſit maior duodecim annis, quantæcunque ætatis ſit, duplex Epiſcopi examen ſubeat; alterum ante habitus ſuſceptionem, & alterum poſtea ante profeſſionem. Et vtrumque petijt, quia ſæpè puellæ inuitæ habitum ſuſcipiunt, & quamuis voluntarie illum aſſumant, non rarò inuitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitus dimittẽdi. Alterum vero, quod in eo Decreto ſtatuitur, eſt, vt puella minor duodecim annis ingrediens, vnicum examen ſubeat, nempe profeſſionis tempore quoniam ante ętatem duodenariam vanum exiſtimauit Tridentinum id examen præmitti, ob tenerum rationis vſum puellæ.

Mi-

Miranda quoque *Tract. de Monialibus quæst.* 8. *art.* 2. ſic intelligit hoc decretum, & corroborat, dicens, ſi expectandum eſſet, vt huiuſmodi puellæ eſſent duodecim annis maiores, vt religionis habitum ſuſcipere poſſent, multæ eorum, & forſitan maior pars religioſæ, & moniales numquam fierent, breuique temporis ſpacio Monialium omnium ſtatus periret. Experimento præterea etiam compertum eſt, illas puellas, quæ in ætate tenera, atque infantili Religionem ingrediuntur vberiores poſtea fructos in Dei ſeruitio facere, minuſque affici ad ea, quæ ſunt mundi.

Sed hodie, ſequitur ipſi Miranda, circa ſupradictam concluſionem, iam nulla eſt dubitatio, cum, vt dicitur, habeatur Declaratio Cardinalium, aſſerentiũ Concil. Trid. non prohibere, quin parentes mittant in Monaſteria filias maiores ſeptẽnio, iuxta antiqua iura, vt habetur *in cap. cum ſimus; cap. cum virum, de regul. cap. Monachum* 20. *quæſt.* & tradit *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 18 *). artic.* 5. *&* 6.

Gauantus tamen *in ſuo Manuali Epiſcop.* vult, quod puellæ, quæ habitũ regularem ſuſcipere volunt, debere eſſe duodecim annis maiorem; alias recurrendum eſſe ad Sacram Congregationem; & ita declaraſſe Congr. Epiſc. 1592.

Abbatiſſæ etiam de conſenſu ſuarum Monialium, ſine ſuorum Prælatorum licentia, nullo modo poſſunt Nouitias recepere. *Miranda loc cit. artic.* 1. putat id eſſe certiſſimum de iure communi, & in omnium Monialium Monaſterijs quorumcumque Religionum, Nouitiarum receptionẽ ad ſuos proprios Prælatos, atque Superiores pertinere, cum ſuper eiſdem iuriſdictionem habeant; atque ita Nouitiæ ipſis conſentientibus, non vero renuentibus eorum obedientiæ, & iuriſdictioni debent ſubijci. Pro Monialibus Minoribus ſubiectis extat hac de re *Statutum Nicolai V.* quod Abbatiſſæ, nec ſimul omnes Moniales poſſint aliquam ad religionem, vel profeſſionem recipere, niſi de Prouincialis, aut Viſitatoris licentia.

Notandam eſt, viduas non conuenire admitti ad habitum Monachalem Virginum. *Congr. Ep.* 29. *Ian.* 1585. nec poſſe Ter-

tiam sororem Monialem admitti sine licentia Sedis Apostolicæ. *Ead.25.Maij* 1595.

3 *Parentes habent ius patriam offerendi Monasterijs, pro vita futura Monastica, istas puellas.*

ILLVSRATIONES.

SIc è *Sanchez Portuel in Dub. Regular. V. Clausura, In Addit. nu.* 8. Nec puellæ ab illis sic oblatæ Monasterijs, possunt exire à dictis Monasterijs, nisi post annum completum pubertatis. Vnde puella posita à parentibus in Monasterio ante annum duodecimum, non poterit inde exire libertatis gratia, nisi post completum annum duodecimum, quando puellæ aduenit pubertas. Ratio est, quia filia ante pubertatem est sub omnimoda potestate parentum; at post annum duodecimum poterit ipsa exire à conuentu inuitis parentibus.

An verò pater, vel mater, qui cogit filiam inuitam, vt intret Monasterium pro vita futura eligēda; si ista puella habeat vsum rationis, sed tamen non habeat annos pubertatis, videlicet annū duodecimum, incurrat excommunicationem Concilij Trid. positam contra cogentes feminam ingredi Monasterium. Idem *Portuel loc. cit.* negat. Ratio, quia parentes etiam ex iure canonico, quod non fuit reuocatum à *Concilio Trid. sess. 25. c. 18. de regular.* habent potestatem, & ius naturale offerendi filios religioni; & talis filius sic oblatis tenetur obedire Patri ordinanti suam educationem. Incurreret vero, si cogeret ingredi post annum pubertatis.

Portuel fatetur, se apud nullum Doctorem hanc quæstionem reperire. Eam tamen *Suarez*, quem nulla difficultas fugit, *Tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. num. 4.* Tractat, & negat absolute etiam ipse, vllam censuram parentes, vel tutores incurrere, immo nec peccare, cogentes feminam Monasterium ingredi. Qui etiam addit, nec incurrere parentes aliquam censuram, licet mortaliter peccent, qui filiam post annos pubertatis ad ingrediendū Monasterium

ſterium ad educationem, vel cuſtodiam tantum. Exiſtimat namque Concilium non fuiſſe loquutum de hoc ingreſſu, ſed de illo, qui per ſe ordinatur ad ſuſceptionem habitos, & ſub hac conditione, ſeu pactione fit.

Diana inſuper ***in ſuis Reſolut. mor. Tract. 1. Miſcell. Reſolut.*** 56. affert multos Doct. contrariam tuentes ſententiam. Et licet etiam aliam probabilem ſatis, & in praxi tutam exiſtimet, nihilominus libenter amplectitur eam, quæ affirmat, incurri excommunicationem à cogentibus, etiam ſi ipſi non dicant, vt intret ad habitum ſuſcipiendum, vel ad profeſſionem emittendam, ſed ſolum, vt ibi maneat cum habitu ſæculari, vſque ad occaſionem nubendi. Quod intelligẽdum eſt, quando huiuſmodi feminæ cogatur intrare Monaſteriũ puberes, id eſt poſt annos duodecim.

Deſideratur non ſolum patris, ſed etiam matris conſenſus, in offerenda puella impubere religioni; Quod iure communi potior ſit prohibentis conditio. ***Regula in re communi, de reg. iuris, in 6. l. Sabinus ff de cõi diuidundo.*** Sic ***Sanchez loc. cit. num.*** 16. Qui etiam ***num. ſeq.*** ait, idem dicendum eſſe, ſi puella habeat plures tutores, contradicentis enim pars præfertur.

4 ***Puella admiſſa ad religionem ante pubertatis annos, licet non ſit proprie Nouitia, attamen large talis cenſetur.***

ILLVSTRATIONES.

SIc ***Sanchez lib.*** 5. ***cap.*** 4. ***num.*** 24. Gaudet enim priuilegio canonis conceſſo Nouitijs ***C. religioſo, de ſtat. excommun. in 6.*** vt ipſas percutiens ſit excommunicatus, vt docet ***Paludanus***, & ***Angelus*** ab ipſo ***Sanchez*** citati. limitat ***Sanchez***, quãdo ante vſum rationis admiſſa eſſet, etiam à parentibus oblata, quia nec impropriè tunc eſt Nouitia, donec adepto rationis vſu conſentiat; nec oblatio parentum antea facta aliquid operatur.

Excom-

5 ***Excommunicatur, qui per vim, seu metum cogit feminam ingredi Monasterium, vel suscipere habitum, vel profiteri, dummodo sequatur aliquis eorum effectus.***

ILLVSTRATIONES.

C*oncil. Trid. sess.* 25. *c.* 18. *de Regular.* Dubitari hic posset, an qui cogit feminam, vt Monasterium ingrediatur, & in coactione perseuerat, donec habitum suscipiat, ac tandem vt profiteatur, tres excommunicationes incurrat. *Suarez Tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 3. tenet probabiliter, vnam tantum excommunicationem incurrere, quando sc. cogit ingredi, & in eo animo perseuerat, quousque suscipiat habitum, & profiteatur. Fatentur tamen securius esse in petenda absolutione à censura integrã causam illos aperire; quia, vt minimum, est notabiliter aggrauans, & multum varians moralem causam, atque adeo morale iudicium eius.

Excommunicatio hæc ligat quascumq; personas, & contrahitur per solum coactionem indirectam, qualis est illa, quam parens infert feminæ in victu, vestitu, verbis, & alijs actibus, contumeliose illam tractando, & affligendo, ac tali intentione, vt illa tædio affecta tandem ingrediatur. Non incurrit tamen hanc censuram Pater, qui relinquit heredem filiam ea conditione, vt ingrediatur Monasterium, sic *Cardinalium Congregationem* censuisse testatur *Suarez loc. cit. num.* 5.

Concilium extendit hanc censuram ad dantes auxilium, consilium, fauorem ad supradicta. Et notandum est, quòd talis extensio valde singularis est, & potest comprehendere multos; vt consanguineos puellę, Superiorem Vicarium, & Episcopum, qui scientes eam non sponte ingredi, tamen suam auctoritatem interponunt, vel præsentia cohonestant. Declararunt Cardinales, feminam sic inclusam per vim in Monasterio, educendam esse, & si aliquod nocumentum ob eam causam passa est, eorum expensis compensandum esse, qui talem vim intulerunt.

Notan-

Notandum est, quòd si femina constituatur per metum in Monasterio, vt ibi educetur, donec sit apta nuptui, non incurri in hoc casu excommunicationem, quemadmodum etiam non incurritur, cogendo ad faciendum votum ingrediendi Religionem; quia hæc non est proprie coactio ad Religionem.

Denique animaduertendũ est, conantes ingredi Religionem, vel habitum suscipere, vel profiteri, non esse excommunicatos, femina non ingrediente Religionem; nam prædicta excommunicato supponit effectum secutum, videlicet, vt femina ingressa sit Religionem propter illam coactionem; hæc enim est differentia inter cogere, & conari, quod cogere importat effectũ, conari vero dicit actionem per ordinem ad coactionem. Vide *Bonacinam de Censuris disput. 2 quæst. 6 puncto 3.*

6 ***Nouitiatus non est legitimus 1. quando non est habitus in legitima ætate.***

ILLVSTRATIONES.

Legitima ætas ad Nouitiatum est pubertas completa; videlicet in viris quattuordecim anni completi, in feminis vero duodecim. Et quamuis ante ætatem hanc admitti femina ad religionem possit, vt dictum est; at vere, & proprie nouitius non incipit esse, donec illam expleat. Et ratio huius est, quia annus illi datur ad austeritates religionis experiendas; inter quas supremum locum obtinet castitatis obseruãtia, cuius difficultates impuberes experiri plene nequeunt. Sic *Sanchez lib. 5. cap. 4. nu. 22. Citans text. & DD.*

Nec malitia supplet ætatem, sicut nec supplet in ætate ad professionem petita. Sicut etiam complenda hęc est ætas de momẽto ad momentum; & in anno bissextili duplex dies tamquam vna reputari debet. Huic sententiæ etiam subscribit *Barbosa in Appendice ad Allegat.* 101. Vbi affert Declarationem. *Sacra Congreg. Conc. Trid. in vna Patauina de mense Iunij* 1627. quæ censuit, non valere professionem respectu anni bissextilis cuiusdam, qui ingressus

gressus est Religionem 27. Martij & die 26. eiusdem mensis sequentis anni currenti anno bissextili emisit professionem.

Non interdicit Concilium Nouitiarum incipi, aut compleri ante sexdecim annorum ætatem, vt ex multis concludit *Sanchez loc. cit. & num* 25. probat, minus bene Sorbo dixisse, hoc correctum esse per *Motum proprium Sixti V. contra illegitimos*, vbi statuit, nullum sexdecim annis minorem ad religionem admittendum esse; nam deceptus est, quia id non statuit, sed tantum maiorem sexdecim annis admittendum non esse, nisi præmissa morum ipsius informatione.

Suarez loc. cit. cap. 15. *num.* 9. existimat, eadem iura, quæ statuunt, vt annus probationis præcedat, consequenter velle, vt finito anno statim de persona iudicium feratur, & ad professionem admittatur, si admittenda sit; vel saltem in eodem statu probationis vsque ad professionem perseueret; nam si illum mutet, moraliter mutat fundamentum iudicij, quoniam multum potest mutare mores, propter quod moraliter etiam loquendo, noua probatione indiget.

Idem Sanchez loc. cit. cap. 13. *nu.* 8. & ipse fatetur, posse annum probationis inchoari ante decimum quinctum expletum, dummodo incipiat post annos pubertatis; quia iure antiquo id poterat fieri; Concilium autem nihil circa hoc innouauit; nec item est opus, vt statim expleto anno decimo sexto Nouitius ad professionem admittatur.

7 ***Nouitiatus non est legitimus 2. quando extra Monasterium habitus est.***

ILLVSTRATIONES.

Sylvester *V. Religio q.* 5. *Angelus V. Nouitius num.* 16. *Nauarra cons.* 9. *de Regular. num.* 2. Et sæpè *in alijs consilijs*; immo inter *Declarat. Card. ad d. cap.* 15. *Conc. Trid.* Expresse additur, quod probatio debet esse intra claustrum per annum continuum. Verumtamen hæc conditio, vt ait *Suarez loc. cit. cap.* 4. *num.* 13. materia-

terialiter sumpta necessaria non est, formaliter autem intellecta est vera,& admittenda,quod ijdem auctores sentiunt. Et explicatur in hunc modum à *Panorm. in cap. cum illorum, de sent. excom.* dicente, vbicumque fuerit monachus, si sit sub obedientia Abbatis, semper fingi eum esse in claustro. Sic ergo si esse in claustro intelligatur vere, & sine fictione, quod *Suarez* appellat esse materialiter,non est de substantia nouitiatus,nullo enim iure hoc postulatur.

Hinc etiam *Nauar. consil. 32. de Regular.* recte respondit, si Nouitius de mãdato Prelati per magnam partem anni extra monasterium versatur, & etiam in curia Principis tractans negotium religionis, semper esse in probatione sine interruptione, & posse suo tempore professionem emittere, quia non est de ratione anni probationis manere semper intra septa monasterij; sed ad probationem sufficit manere sub obedientia sui superioris, vbicumque nouitius fuerit.

Id locum habere in solis masculis nouitijs, non autem in feminis docet *Rodericus quæst. Regular. Tom. 3. quæst. 15. artic. 16.* Quia cum præcipua monialium asperitas sit clausura, ea vtique ad professionis valorem est necessario experienda. Extat tamen *Declaratio Card.* Qua responsum est, si nouitia curandæ valetudinis causa de licentia superiorum monasterio exeat, & in domo parentum curetur, nõ propterea interrumpi nouitiatum, sed eodem tempore posse professionem emittere, ac si è claustro non exijsset. *Suarez loc. cit.*

8 *Nouitiatus nõ est legitimus 3. quando nouitia non detulit peculiarem habitum suæ religionis, sed in sæculari nouitiatum peregit.*

ILLVSTRATIONES.

ITa *Sanchez loc. cit. nu. 29.* Qui tenet, de nouitiatus essentia esse, illum peragi habitu religionis suscepto. Nam in vestitu illius religionis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas, ac labor, quæ inter probationis experimenta numerantur. Ergo est

B necess-

necessarium id nouitiam experiri. Item quia religionum vsus id testatur. Et *Trid. dict. sess. 25. & cap.* videtur hoc expresse decidere, dum decernit, annum nouitiatus ad professionis valorem, numerandum à die susceptionis habitus. *Suarez tamen loc. cit. nu. 11.* contrarium sententiam tuetur. Vide, si placet, eius rationes, quæ multum vrgent.

9 *Nouitiatus non est legitimus 4. quando, & si toto anno peractus fuerit, is non fuit continuus, sed interpolatus.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Sanchez* contra nonnullos, qui censent, nullo iure Nouitiatus anni continuitatem peti. At dicendum est, exigi eum annum continuum esse, vt legitimus sit nouitiatus, & valeat professio. Nam quoties in decreto aliquo tempus aliquod petitur, id necessario debet esse continuum, vt tradunt *glos. in fin. rub. ff. de diuers. & temp. præscript. & c. 2. V. per annum, de temp. ordin. in 6.* vbi *Francus num. 5. Imola Clem. 1. num. 18. de integr. restit. & aliàs alleg. & ex var. tex. probantes. Anton. Gomez Tom. 3. var. c. 1. num. 3. Gut. q. can. lib. 1. c. 12. num. 24.* Ergo cum *Trid. loc. cit.* absolute petat integrum nouitiatus annum ad professionis valorem, is debet necessario esse continuus.

Adde, quia is annus præscribitur, vt nouitius integre, & perfecte religionis asperitates experiatur. At inter alia non infimum locum tenet, eas sine intermissione perferre. Sicut multo difficilius est, continua quadraginta ieiunia perferre, quam interpolata. Sic *Sanchez*, qui etiam tenet, quantumuis modicum continuationis defectum professionem irritam reddere.

Si tamen nouitia, expleto nouitiatus anno deseruisset religionem, non egeret postea, ad illam rediens, nouo nouitiatu ad profitendum, nisi conditio personæ, aut religionis sit ita mutata, vt non censeantur eius difficultates moraliter exploratæ. *Sanchez num. 34.* Qui etiam *num. seq.* ait, *priuilegium Iulij 2. Minoribus concessum*, vt integrum sit continuare annum nouitiatus semel interrupti

rupti per nouitij egressum, si iterum ad religionem veniat, esse reuocatum. Ratio, quia id olim concessum est, dum annus nouitiatus non ita exacte petebatur, sed ex communi cōsensu integrum erat illud cedere. Ac hodie rigidissime petit *Trid.* peragi eum nouitiatus annum, & decernit ex professione aliter facta nulla prorsus obligationem induci.

Barbosa in Append. ad Allegat. 101. vult, quod supradicta continuatio non solum esse debeat per annum expletum, sed etiam vsque ad professionem, ita vt completo anno, si nouitius egrederetur Monasterium, & postea iterū rediret, professionem emittere non posset virtute præfatæ vnius anni probationis, sed iterum inchoare deberet nouitiatum, & citat Doct.

10 *Nouitiatus non est legitimus 5. quando nouitia in furorem, seu amentiam incidit, & per maiorem, seu magnam partem anni nouitiatus durauit amentia, seu furor.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Hieronymus Rodericus loc. cit. num.* 41. qui contra *Sanchez* tenet, furorem per mensem etiam durantem, non impedire cursum nouitiatus. Nam post eum mensem ad mentem rediens, iudicatur tamquam si in phrenesim incidisset, ad effectum admittendi eum ad professionem, statim à die peracti anni probationis, absque eo quod suppleat tempus, quo fuit in amentia, vt ipse *Sanchez* concedit in phrenetico.

Si vero per maiorem, seu magnam partē anni durauit furor, seu amentia, supplenda est ea duntaxat pars temporis, quo durauit furor, seu amentia; idque sufficere *arg. c. sicut tenor, de Regular.* vbi ideo professio furiosi non tenuit, quia tempore, quo fuit indutus habitu monachali extra mentē positus erat; ergo à contrario sensu valeret, si suæ mentis compos tunc reperiretur; & constat ex illis verbis, ibi, *Nisi postquam mentis suæ factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit monachalem.* Quæ ratio etiam militare videtur in anno nouitiatus quoad eius

validitatem; nam si tempore, quo induta est habitu monachali mentis suæ compos erat nouitia, spontanea voluntate creditur id fecisse, ac ideo nouitiatus non interrumpitur per superuenientem amentiam, & consequenter sufficit supplere id tempus, vt valide profiteatur.

11 *Nouitiatus est legitimus, licet nouitia statim ac monasterium ingreditur, in lectum incidat ægrota, & ita duret per totum annum integrum probationis.*

ILLVSTRATIONES.

S*varez loc.cit.cap.*14.*num.*15. Et potest profiteri, quia ille fuit verus annus probationis, quod ex mente omnium Doctorum asseruit *Nauar.loc.cit.consi.*32.*num.*5. Et ratio est, quia quantum ex se est, verè manet in statu probationis in tali religione, & sub obedientia illius. Quod autem actu probari non possit, est per accidens, nec refert, quod annus probationis datus est ad sumendam experientiam, tum quia finis legis non est de substantia legis: tum etiam, quia in eo casu nouitia satis probatur per infirmitatem, in qua sufficienter poterit religio cognoscere naturam eius, & aptitudinem ad religionem; ipsa vero, & charitatem, & mores religionis poterit cognoscere, & quamuis non valeat vitæ austeritatem in se formaliter, vt sic dicam, experiri, aliunde tamen poterit sufficienter notitiam comparare.

12 *Non potest aliqua religionem ingredi, nisi ab ea recipiatur.*

ILLVSTRATIONES.

S*varez loco citato, capitul.*10. *numer.*1. Ratio, quia hæc correlatiua sunt, veluti partes humani contractus, qui non potest nisi mutuo consensu perfici. Requiritur in recipiente potestas, quæ iure communi pertinet ad Abbatissam, seu Priorissam cum Capitulo simul. Sed recurrendum est hac in re ad regulas ipsa-

ipsarum Monialium, & constitutiones, ac ad priuilegia per Sedem Apostolicam concessa. Quod si nec in regula, nec in priuilegijs specialis, ac propria declaratio huius rei contineatur, præcipue attendenda est consuetudo; & apud illum erit hæc potestas, qui consuetudine præscripta illius vsum habuerit.

13 *Abbatissæ, etiam de cõsensu suarum Monialium, sine suorum Prælatorum licentia nullas possunt recipere nouitias.*

ILLVSTRATIONES.

MIranda de Monialibus, quæst. 8. artic. 1. Qui hanc conclusionem putat esse certissimam de iure communi, & in omniũ Monialium Monasterijs quarumcumque Religionum, Nouitiarum receptionem ad suos proprios Prælatos, atque Superiores pertinere, cum super eisdem iurisdictionem habeant; atque ita Nouitiæ ipsis consentiẽtibus, non vero renuentibus, eorum obedientiæ, & iurisdictioni debent subijci. Recenset ipse Miranda speciale de hoc præceptum, *& Statutum Nicolai V. pro Monialibus Fratribus Minoribus subiectis.*

Legantur Acta Ecclesiæ Mediolanensis, ibi enim reperietur formula facultatis habẽdi capitulum pro puella ad Religionem admittenda. Vbi etiam iubetur Præfectæ Monialium, vt statim de suffragiorum exitu superiorem admoneat. Debet ferre duas partes ex tribus suffragiorum puella ad Religionem admittenda. *Gauantus loc. cit.*

Formula qua vtitur Eminentissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Patriarca, in admittenda puella ad habitu Monachalem.

FEDERICO CARDINALE ETC.

Concediamo licenza alla Madre che alla presenza del suo Padre Confessore, stando egli nella Chiesa esteriore al fenestrino, doue si fà la Santissima Communione, e seruandosi tutti gli ordini sopra ciò dati, possa vestire dell'habito di Monaca accettata di nostra Commissione alla Religione nel detto Monasterio. Auuertendo essa Madre Superiora, ch'e tenuta ad auuisarci vn mese prima che finisca l'anno del Nouitiato, facendoci fede della modestia della Nouitia sì nell'habito, come nel resto, à fine che la possiamo ammettere alla Professione regolare, sopra di che incarichiamo la cosciensa sua.

Notandum hic est, quod puella, licet ingredi velit Monasterium Regularibus subiectum, ab Episcopo tamen examinare debet. *Congr. Episc.* apud *Barbos. Allegat.* 100. *num.* 4.

Hic apponere libet nonnulla circa Monialium Nouitiarum alimenta sumpta ex *Gauanto loc. cit.*

Excepto victu, & vestitu Nouitiæ illius temporis, quod est in probatione, nihil tribuatur Monasterio de bonis eiusdem, sub pœna anathematis dantibus, & accipientibus. *Trident. sess.* 25. *cap.* 16.

Tempore Nouitiatus præbeantur alimenta à consanguineis, præter dotem depositum. *Congreg. Episc.* 13. *Septemb.* 1583.

Anno probationis durante deponatur pecunia, quæ datur nomine dotis, seu alimentorum pro tota vita, & post professionem in bonis stabilibus, seu censibus implicetur. *Ead.* 1581. soluatur in ære, non in bonis stabilibus. *Ead.* 28. *Martij* 1588. Deponatur penes idoneam personam, non affines, neque consanguineos Monialium *Ead* 6. *Iunij* 1625.

Pro tertia sorore duplicata portio debet solui, intra numerū præfixum; pro quarta autem sorore triplicata portio danda erit. *Ead.* 26. *Aug.* 1616.

Expendi potest dos in vsus cōmunes Monasterij necessarios; si vero sit super numerariarum, omnino in emptionem bonorum stabi-

ſtabilium conuertatur. *Ead.6.Iunij* 1615.

Nulla renunciatio, aut obligatio valeat, niſi fiat cum licentia Epiſcopi,ſeu Vicarij intra duos menſes proximos ante profeſſionem. Nec intelligatur ſortiri effectum,niſi ſecuta profeſſione,ſi diſcedat Nouitia, reſtituantur omnia, quæ ſecum attulit, & cogatur etiam per cenſuram. *Trid.ſeſs.*25.*cap.*16.

Idem fiat,ſi moriatur ante profeſſionem; quod decretum refert. *Barboſ. Allegat.*101.*nu* 40. Deductis alimentis Nouitiatus. *Azor. par.*1. *leg.*13. *cap* 9. *quæſt.* 2. Habitus religioſus non eſt reſtituendus, ſed pretium decretum. *Barboſ.ſup.num.*39.

De puellis recipiendis in Monaſteria Monialium, educationis gratia. Cap. II.

1 *Puellæ,educationis gratia, in Monaſterijs Monialium retineri poſſunt.*

ILLVSTRATIONES.

Ratio eſt, quia educatio puellarum in magnam cedit Monaſterij vtilitatem,cum multæ ex ipſis religioſum habitum in eodem Monaſterio,in quo educationis gratia perſtiterunt, ſuſcipere ſoleant. Tum quia ſic à *Sacra Cardinalium Congregatione* declaratum eſt.

Declaratio autem Sacræ Congregationis in hæc verba refertur: Epiſcopo Hieracenſi Reuerendiſs.Domino. Ex Sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilij interpretum Amplitudinis tuæ nomine quæſitum eſt. An puellæ in Monaſterijs Monialium educationis cauſa manere poſſint; ij vero ſic cenſuerunt ad te ſcribendum, Iam dudum ab eadem Congregatione ſtatutum eſſe, nullo Concilij decreto prohiberi, quominus puellæ in Monaſterijs Monialium educentur; ſi tamen eadem Monaſteria ante Concilium conſueuerunt huiuſmodi puellas recipere, ſicque à ſuperioribus Monaſteriorum ſcriptam licentiam impetrauit, atque Abbatiſsæ, & reliquarum Monialium conſen-

ſus

sus accesserit; Tum vero hæ ipsæ puellæ, eo vestitu in Monasterium intromittantur, qui virginali pudori, & modestiæ conueniat, nullamq; secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dum erunt, eamdem seruent clausuræ legem, quam moniales ipsæ; & si semel exierint, nullam habeant, ad ea reuertendi facultatem.

Ex qua Declaratione, & ex alijs, quas Doctores citati à *Bonacina de Clausura quæst. 4. puncto 3. nu. 16.* addunt, colliguntur conditiones necessariæ ad puellas in Monasterio Monialium educationis gratia collocandas, quæ sunt.

2 *Prima conditio est, quod Monasterium, vbi recipiuntur, consueuerit huiusmodi puellas recipere.*

ILLVSVRATIONES.

Nam seruanda sunt in hoc cuiuslibet Monasterijs instituta. Si enim in illo Monasterio non sit consuetudo, non poterunt recipi. Vnde in Cõuentibus Capuccinarum primæ Regulæ Sanctæ claræ non poterunt recipi, quia apud illas non est consuetudo tales recipere. Addit *Mirandaloc. cit. quæst. 2. art. 6. 2. conclus.* Id fieri non posse etiam in alijs Monasterijs, quæ à principio, & à sua fundatione clausuram promiserunt, seu ad eamdẽ seruandam voto, aut aliquo regulæ suæ præcepto se obligarunt, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, aut potentis illam dare, quod multoties explicauerunt, atque dixerunt prædicti Eminentissimi Cardinales.

3 *Secunda conditio est, vt ad sit consensus Abbatissæ, & aliarum Monialium, & licentia in scriptis superioris eorumdem.*

ILLVSTRATIONES.

B*onacina loc. cit. numer. 19.* ait, hoc tempore non sufficere Episcopi facultatem, sed requiri cum licentiam Sacræ Congregationis.

Tertia,

4 *Tertia, vt ancillas secum non adducant, & si semel egrediantur, iterum non admittantur.*

ILLVSTRATIONES.

ADmittendæ tamen sunt, & recipiendæ, quæ valetudinis gratia, & alicuius infirmitatis grauis curandæ, de licentia superioris in scriptis obtenta exierunt, & Abbatissæ, ac reliquarum Monialium accesserit consensus. Possunt tamen semper admitti, si Moniales fieri velint.

5 *Quarta, vt teneantur ad clausuram, & ad cetera, sicut Moniales.*

ILLVSTRATIONES.

QVare in excommunicationem incidunt, si clausuram violant, ac si id faciant non amplius reuersuræ. Peccant etiã mortaliter, si cum Regularibus sine licentia colloquũtur.

6 *Quinta, vt vtantur eo vestimento, quod virginali modestiæ, & pudori conueniat.*

ILLVSTRATIONES.

AD Episcopum, seu Superiorem Monasterij spectat modificare vestimenta puellarum, in Monasterio educationis gratia commorantium.

Ideo ab Eminentissimo, & Reuerendissimo Cardinali nostro conceditur hoc pacto licentia pro ingressu in Monasteria educationis gratia.

FEDERICO CARDINALE ETC.

Concediamo licenza à che possa entrare nel Monastero per causa di stare in educatione in esso; pur che vi sia il consenso della Madre Superiora, e dell'altre Monache, & s'osseruino tutti gli altri ordini fatti in tal proposito. Auuertendo la sodetta, che mentre starà in Monastero, vogliamo, che vesti positiuamente, senza seda, ornamenti d'oro, ò di gioie, & altre vanità da mondane; il che non facendo, dichiareremo nulla la presente licenza, & procederemo ancora contra le Superiore, e contra quelle Monache, che sono assegnate al gouerno delle figliuole à spese, se non procureranno che questo Nostro Ordine sia esequito, & non ci daranno parte di quelle, che trasgredissero.

7 *Sexta, vt in prædictis Monasterijs Monialium educationis gratia receptæ, restituantur patribus, seu parentibus, quandocumque eas petierint.*

ILLVSTRATIONES.

SI vellent hæ in religione permanere, & habitum suscipere, non tenentur Moniales eas parentibus restituere, dummodo pubertatem ipsæ excesserint Parentesque. ex *Concil. Trid. Decreto d. sess. 25. cap. 18. de Regular.* anathematizantur, si ipsas sine iusta causa impediant. Expedit tamen in hoc casu eas parentibus restituere, vt cognoscant ipsi, ipsas non esse seductas.

8 *Septima, quod non sit super numerum præfixum.*

ILLVSTRATIONES.

PRæfigere huiusmodi numerum superiorum Monasteriorum est; qui eum augere, aut minuere possunt, quando aliqua causa necessaria adest.

Octaua,

9 *Octaua, quod quolibet semestri eis anticipata soluatur portio pro alimentis.*

ILLVSTRATIONES.

QVanta debeat esse talis portio, nihil certi circa id assignari potest. Nam pro qualitate temporum, vel minuenda, vel augenda est. Non potest Præfecta Monialium sola portiones non solutas puellarum parentibus dimittere, absque totius Capituli consensu, & superioris beneplacito.

10 *Nona, quod sit locus separatus à loco, vbi degunt aliæ Moniales professæ, & Nouitiæ pro dormitione, & lauorerio.*

ILLVSTRATIONES.

DAmnanda igitur est omnino, & nullo pacto toleranda pessima consuetudo, quæ in quibusdam Monasterijs iam inualuit, vt Moniali priuatim, & in particulari aliqua ex his puellis assignetur, cum maiori parte portionis, vt ipsam apud se in proprio cubiculo retineat, & ei alimenta præbeat.

11 *Decima, quod puellæ huiusmodi in Monasterijs recepi non possunt minores septennio, & maiores vigesimo quincto.*

ILLVSTRATIONES.

SIc decretum esse à *Sacra Congreg. è Galeto, Zerola, & Riccio testatur Barbosa, de offic. & potest. Episc. Allegat.* 102. *num.* 64. Septennium debet esse expletum.

An vero femina, quę completo vigesimo quincto anno statim non egreditur, afficiatur excommunicatione, respondet *Bonacina,* & communiter alij negatiue; sicut etiam nec eadem affici videtur Prælata Monialium illam retinendo, quia non est illicite

C 2 in-

ingressu; nec *Sacra Congregatio Cardinalium*, excommnnicationem imposuit. Episcopus tamen in tali euentu poterit huiusmodi feminæ terminum constituere ad eligendum egressum, vel susceptionem status religiosi.

12 *Mulieres nuptæ in Monasterijs Monialium recepi non debent.*

ILLVSTRATIONES.

B*Arbosa loc. cit. num 66.* qui etiam testatur à *Sacra Congregatione* reiectam fuisse petitionem cuiusdam comitissæ, quæ propter quamdam infirmitatem à suo marito volebat separari, & cum tribus filiabus ingredi quoddam Monialiũ Monasterium.

Illæ tamen, quæ sunt in discordia cum maritis, & eorum sæuitiam timent, si extra culpam sunt, quamdiu iustam causam timendi habuerint, debent, si sunt in Monasterijs tolerari, in posterum vero huiusmodi mulieres non possunt recipi, ita decisum è *Zerola, & Campanil. refert Barbosa. Campanil Rubr. 12. cap. 16. nu. 30.* aduertit antiquitus sic à *Sacra Congregatione* fuisse declaratũ, addens, ipsam deinde permisisse illas introduci sub his verbis, *Mulier, quæ venit in suspitionem marito, & timet ob id ne ab eo vis aliqua inferatur, debet permitti, ut possit ingredi Monasterium Monialium, si modo constitutiones Monasterij non repugnant & accedat consensus superiorum, Abbatissæ, & Monialium; & causa cessante ingressus debent inde exire, & si semel exierit, numquam postea in idem Monasterium ingredi poterit; & tenetur ad clausuram, sicut aliæ Moniales, & stare sine ancillis, & seruare conditiones alias suprapositas.*

Quoad viduas vero spectat, idem *Campanil* ibidem scribit, quod respectu harũ *Sacra Congregatio* sic speciatim declarauit, Viduæ, inquiens, quæ viris mortuis, honestatis causa se contulerunt in Monasterium, morbo sint bonæ existimationis, & famæ, legibusque Monialium pareant, tolerari debent; de cetero tamen nullæ huiusmodi viduæ recipi debent, nisi Moniales fieri velint.

Aduertit hic *Barbosa loc. cit. num. 67.* Episcopum non posse

dare

dare licentiam viduæ ingredi volenti, atq; in habitu laicali permanere; etiamsi toto tempore vitæ suæ illic degere, nec amplius inde exire vellet, quia in istis nulla adest caussa necessaria.

De Monialibus Conuersis. Cap. III.

1 *Vt in Monasterijs Monialium quædam Moniales recipiuntur, vt choro deputentur, sic & aliæ, conuersæ nempe, vt in ministerijs inferioribus inseruiant.*

ILLVSRATIONES.

PIus V. *in suo Motu proprio, qui incipit, Circa pastoralis,* interdixit receptionem in posterum Monialium, vt conuersæ, etiam professionem emissuræ. Quem Motum proprium explicauit Greg. XIII. in alio suo, qui incipit, *Deo Sacris Virginibus*. *Nauar.* vt ait *Sanchez lib 6. cap.* 15. *num.* 58. testatur, se eumdem *Greg. XIII.* consuluisse circa id, & eum respondisse, mētem *Pij V.* fuisse eam, quam verba indicant, nempe, ne vllæ conuersæ posthac reciperentur; suamque fuisse non discedere à mente eius, sed solas excepisse conuersas necessarias, quæ in domibus Monasterio contiguis ad petendas eleemosynas manere deberent.

Quare ex mente *Nauar.* solæ feminæ possunt recepi deinceps ad habitum, & professionem, quæ necessariæ essent ad petendas Monasterio eleemosynas, & in domibus ei contiguis habitaturæ. Sed hoc nimis rigidum eidem *Sanchez* videtur; dicens, cum cōsuetudine receptum sit, vt admittantur hæ, dummodo professionem emittant, tuto posse consuetudinem hanc seruari.

Miranda loc. cit. quæst. 1. *art.* 6. *conclus.* 1. *&* 2. ait, non esse contra mentem, & intentionem prædictam summorum Pontificū, quod in Monasterijs Monialium recipiantur laicæ, seu conuersæ, quæ sint veræ religiosæ, clausuram seruantes cum alijs, & tria essentialia, & substantialia Religionis vota profitentes. Quod autem Pontifices ipsi in dictis suis constitutionibus statuerunt, & condiderunt, ac omnino seruari voluerunt, fuit, vt illæ sorores, atque

mulieres,

mulieres, quæ sermone hispano dicuntur donadas, siue beatus, ad habitũ, nec ad professionem admitterentur, nisi illæ tantum, quę necessariæ forent ad colligendas eleemosynas, quas non voluerunt ad clausuram obligare, cum non sint veræ religiosæ, cum non emittant nisi duo tantum obedientiæ, & castitatis vota; nec intra aliarum Monialium clausuram introire, sed extra degere, in domibus prędictis Monasterijs contiguis. Et sic dicta summorum Pontificum conciliantur.

Seruandæ sunt ab his beatis conditiones præscriptæ in *d. Motu Pij V. & Motu Greg XIII.* ac denique in quadam *Sacræ Congreg. Declaratione* apud *Zechium citatum à Bonacina de clausura quæst. 1. puncto 9. num. 15.* vbi decernitur, & declaratur, ad colligendas eleemosynas non plures conuersas mittendas esse, quam octo, quæ binæ incedant, nec disiungantur, & sint probatæ vitæ, excedentesque annos triginta nouem; nec per noctem extra oppida, vbi habent Monasteria, nisi de Episcopi licentia, & tunc simul dormiant.

Idem *Bonacina num* 17. ait, hoc tempore raro fieri posse, vt Moniales conuersæ iustam habeant causam exeundi ad colligẽdas eleemosynas, quia *Greg XIII. in præcitato Motu proprio*, ne Moniales conuersæ è Monasterijs exeant, decreuit, vt dimidia pars omnium eleemosynarum in quacumque mundi parte, quacumque lege, dispositione, vel obligatione pauperibus erogandarum, conferatur Monasterijs Monialium in necessitate constitutis, & in eo loco existentibus, in quo prædictæ eleemosynæ certis pauperibus non debeantur, aut non sint ad alios vsus, quam ad alendos pauperes destinatæ; nam si certis pauperibus debeãtur, aut ad alios certos vsus, distinctos ab alimẽtis destinatæ sint, non possunt Monialibus tradi, vt cõstat ex pręcitato Motu. Idem obseruat *Nauar. cons. 8. num. 2 de statu Monach. & alibi.*

2 *Licitum est pro totius Monasterij obsequio famulas sæculares recipere, dummodo Monasterium conuersis professis careat.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Sanchez loc. cit. lib. 6 cap. 16. num. 66.* ex *Rodriquez* concludit. Ratio, quia choro deputatas oportet domestici s officijs

non

non impediri, vt altioribus chori ministerijs vacent; & tempore nouitiatus vltra chorum vacant cantui, & instituto Monasterij addiscendo. Insuper, quia sępe sunt delicatæ, nec his officijs assuetę, & ita durissimum esset, eas onere horum officiorum grauari.

Adde, quod *Seraphicus Pater Franciscus*, Institutor primę Regulæ B. Claræ, *& Innoc. IV. Pont. Max. eiusdem Regulæ Confirmator, & Vrbanus IV. Auctor, & Institutor secundæ Regulæ*, expedientissimum, atque conuenientissimum idipsum diiudicarunt, quin vero & ordinarunt, vt Moniales choro, diuinisque officijs destinatæ, à supradictis vilioribus coquinæ officijs, atque ministerijs eximerentur. Sic *Miranda loc. cit. quæst. 2. art. 5. conclus. 2.* Qui etiam probat, id non esse contra *Concil. Trid.* cum is vnus esse videatur ex casibus necessarijs, in quibus iuxta ipsum Episcopi, & Superiores Prelati, ad ingrediēdum Monialium quarumcumque Monasteria, licentiam possunt pręstare.

Notandum est, *Greg. XIII.* Concessisse Generali Minorum, vt in quolibet Monasterio pro decem Monialibus possint deputare vnam ancillam, dummodo clausuram seruent deputatę, & egresse semel amplius non admittantur. *Sixtus V.* extendit id ad omnes Moniales, vt notat *Portel V. Clausuræ Monialium num. 5.*

Quare satis mirari nequeo, dum video huiusmodi ancillas nullo pacto clausuram seruare, sed egredi, & ingredi, prout Abbatissis magis placuerit. Appellantur hę improprie Moniales conuersę, quia Monachali habitu sunt indutę; sed cum nullum votum emittant, sunt purę laicę, nec gaudent vllo religionis priuilegio, cum Monachum non faciat habitus, sed professio regularis. Nulla inter Monasterium, & ipsas contrahitur perpetua obligatio; cum ipsę possint ad libitum relinquere Monasterium, & pariter à Monasterio dimitti. An vero istę gaudeant priuilegio fori, ac canonis, iudicium sit penes doctiores.

An vero pro alicuius priuatę Monialis ministerio possit recipi inter clausuram ancilla, dicendum cum *Sanchez loc. cit. nu. 66.* id in nullo conuentu tam facile admittendum esse, nisi quando specialis ratio magnæ nobilitatis personę, aut ęgrę valetudinis,

aut

aut nimię senectutis causam preberet, nec satis ei necessitati per monasterij famulas, aut conuersas consuli potest. Nec distinguit *Sanchez*, an ex aliarum malitia, aut absque illa id oriatur. Quamuis enim ex malitia proueniat, si superior non potest eas commode cogere, aut si coactę male ministrabunt, iusta est habendę famulę causa.

Gauantus in suo Manuali Episc. ex *Congr. ep. 22. Aug.* 1605. asserit, Ancillas introduci non posse in seruitium infirmarum, seu decrepitarum, sine licentia Sedis Apostolicę.

De Professione Religiosa. Cap. IV.

1 *Professio ita est de substantia religiosi status, vt ante illam non sit aliquis vere, ac proprie religiosus, per illam autem fiat.*

ILLVSTRATIONES.

HAec est conclusio certissima. Probatur primo *ex c. Religiosi, de sent. excom. in 6. §. quamuis autem is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacite, vel expresse professus, &c.* Idem habetur *in cap. porrectum, de Regular. & Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. de Reformat. & Sixtus V. in declaratione sua Constitutionis de illegitimis*, eodem sensu dixit, *quia tunc vere, & proprie religiosi effici dicuntur, cum professionem emittant, &c.* Hæc conclusio tradita intelligitur de quacumque professione valida, siue tacita, siue expressa.

2 *Professio duplex est, vna tacita, altera expressa.*

ILLVSRTATIONES.

PRofessio expressa est illa, in qua post expletum annum probationis Nouitia clare, & expresse emittit tria vota essentialia vocaliter in manibus Abbatissæ, sed de licentia Prælati, cū solum apud ipsum sit propria iurisdictio, *ex cap. statuimus 20. q. 2.*

Hæc

Hæc ſolet varijs formulis emitti, iuxta varia religionum inſtituta. Facienda eſt in ſcriptis, vt probat *Sanchez loc.cit.lib.* 5 *cap.* 3. *num.* 5. Qui etiam probat *num. ſequentibus* eamdem profeſſionem poſſe fieri per procuratorem, dummodo adſint quinque conditiones; & vbique, non enim neceſſario faciẽda eſt in Monaſterio.

Profeſſio tacita eſt illa, quæ fit tacendo, abſque votis emiſſis voce, vel ſcripto, ſed ſolum aliquid faciendo, vel tacite conſentiendo ſe eſſe profeſſam. Attamen ſic tacite profeſſa compelli poteſt, vt expreſſe in ſcriptis profiteatur, vt in poſterum valeat eius profeſſio probari, iuxta *cap. finali* 20 *q.* 1.

Ad hanc tria requiruntur. Primum, quod Nouitia deferat indiſtinctum habitum ab habitu profeſſarum intra Monaſterium, vel extra illud de licentia ſuperioris, & per annum continuum. Secundum, quod ſciat per talem geſtationem habitus fieri profeſſionem tacitam ab his, qui putant non eſſe profeſſas. Tertium, quod deferat habitum ſcientibus, & conſentientibus illis, qui poſſunt recipere, & incorporare religioni. *Hieronymus Rodericus in ſuo Compend. Reſolut.* 101. *num.* 53.

Addit *Sanchez loc.cit. num.* 17. Quartam conditionem ad cuiuſcumque profeſſionis tacitæ valorẽ, vt ſcilicet ijs actibus vtens verum profitendi animum habeat. Cum enim profeſſio expreſſa contrario conſenſu exiſtente ſit irrita, à fortiori erit tacita. Nec ſatis erit ſe habere negatiue, nempe, nec habendo animum profitendi, nec non profitendi, ſed poſitiuus profitendi per eos actus animus deſideratur.

Et *num. ſeq.* addit quinctam, vt ijs profeſſorum actibus vtens, ſit cõſtituta in legitima ætate iure petita ad profeſſionis expreſſæ valorem, quæ eſt pubertas completa. *Conſtat ex c. conſtitutione de regular. in* 6. Sed id de iure antiquo. Nam attento *Decreto Trid. ſeſſ.* 25. *de regular. c.* 15. *&* 16. Licet per illud non tollantur profeſſiones tacitæ, ſed in ſuo priſtino valore maneant, attamen induci ſolum poſſunt tranſacto nouitiatus anno, & expletis ſexdecim ætatis profeſſionis annis. *Sanchez loc.cit.num.* 36.

Sublata eſt igitur, *per Trid.* tacita profeſſio inducta *per capit. vidua, & c. ad noſtram de regular.* nempe, quæ inducitur ſtatim de-

lato habitu professarum distincto patenter à nouitiarum habitu, cum exercitio actuum professarum, vel altero horum concurrenti cum tridui perseuerantia. Possent tamen habere locum ij textus, vt ait *Sanchez num.* 37. Quando transacto integro nouitiatus anno, expletisq; sexdecim annis, aliqua nouitia indueretur habitu professarum distincto patenter à nouitiarum habitu; vel vna cũ alijs professis exerceret actum, iure, vel consuetudine solis professis competentibus. Tunc enim concurrentibus quinque conditionibus relatis, esset tacite professa.

An vero ad huiusmodi tacitam professionem requiratur tridui perseuerantia in eo actus exercitio; Aiunt quidã, alij negant. At sic vtramque sententiam *Sanchez num.* 21. conciliat. Si concurrant hæc duo, nempe assumptio habitus peculiaris professis, & exercitium actus illis solis, siue iure, siue consuetudine competẽtis, non exigitur tridui perseuerantia. Et sic procedit *d c. viduas* Quod ad eam professionem præsumendam, ponderauit assumptionem habitus, & oblationem cum alijs Monialibus, quæ solis professis competebant; ac nulla tridui mentio fit. Quod si alterutrum solum ex his concurrat, opus est ea tridui perseuerantia.

Extat alia differentia inter professionem expressam, & tacitam, vt ait *Suarez loc cit. lib 6. cap.* 11. *num* 15. Quod expresse professus potest eligi in prælatum, seu Abbatem; tacite autem professus eligi non potest. Ita decernitur *in cap. nullus de elect. in 6.* vbi non solum hæc conditio requiritur, vt aliquis possit in Prælatum sua religionis, sed etiam cuiuscumque alterius eligi, & electio aliter facta declaratur irrita ipso facto. Idem ius de Monialibus statuitur *in cap. idemnitatibus eod. tit. & lib.* vbi ratio huius iuris redditur, ad vitanda sc. damna, & dispendia, quæ ex electionibus dubijs, & cum discordia factus oriri solent. Ex parte elegentium cessat hæc ratio, ideo in illis talis conditio non postulatur.

3 *Ad professionis valorem non sufficit sola profitentis traditio, sed oportet quoque adesse personam habentem potestatem acceptandi nomine ipsius religionis, illamque obligandi ipsi profitenti.*

ILLV-

ILLVSTRATIONES.

RAtio, quia professio est contractus onerosus, vltro citroque obligatorius, quo professus fidem suam astringit Deo, obligaturque religioni, & religio ipsa obligatur religioso, ad retinendum eum, & alendum, & tractandum iuxta religionis institutum. Sicut primo aliæ reciprocæ obligationes nequeunt in vnius consensu consistere, sed indigent duplici persona potestatem obligandi habente.

4 *Admittere Monialem ad professionem pertinet ad Abbatissam, cum maiori Conuentus parte.*

ILLVSTRATIONES.

S*Anchez loc. cit. num. 65.* Qui etiam addit, Episcopo iubente recipi Moniale͂ ad Monasterium sibi subiectum, non posse recipi contradicente maiori Conuentus parte. Et si ipse Episcopus compellere velit, posse appellari ad Superiorem.

Quærit *Portel loc. cit. V. Nouitia in Addit.* An existentibus in vno Conuentu Monialium suffragijs æqualibus pro vtraq; parte, v. g. triginta negatiuis, & alijs triginta approbatiuis pro vna Nouitia, possit Prouincialis illius Co͂uentus absens per scriptum dare suum suffragium approbatiuum, & cum suo suffragio facie͂te excessum vltra partem dimidiam, maneret approbata ad professionem faciendam Nouitia proposita in Capitulo. Qui post multa hinc inde allata concludit tandem posse.

Suarez tamen *nu. 68. loc. cit.* videtur asserere contrarium, dum dicit, Nec totum conuentum repugnante Prælato, nec Prælatum repugnante maiori conuentus parte, posse aliquem ad professionem admittere. Citat *Nauar. & Rodriq. & Abb.* Qui *in quodam cum simili c. cum Ecclesia num. 11. de elect.* ait, quando electio Canonici pertinet ad Episcopum cum Capitulo, consentiente Episcopo in vnum, & Capitulo in alterum, neutrius electionem vale-

re, quod oporteat, Episcopum cum maiori Capituli parte in eumdem consentire. Nec sufficit consensus Prælati, & dimidia pars conuentus vltra Abbatem, sed debet maior pars conuentus vltra Abbatem consentire.

Seruatur tamen in praxi, notat *Portel. loc. cit. V. electio in Addit.* in casu, quo constat, aliquos ex suffragantibus odio, passione, vel alio respectu humano suffragia Nouitio denegari, tunc non esse standum maiori numero suffragiorum, sed pari saniori, & nitenti maiori ratione, in fauorem Nouitij.

5 *Episcopus potest suspendere potestatem competentem admittendi Nouitiam ad professionem Abbatissæ, & Conuentui, absque sua ipsius licentia, ita vt aliter facta admissio sit irrita defectu potestatis in admittente.*

ILLVSTRATIONES.

Sic suis Monialibus Eminentissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Patriarca, licentiam professionem emittendi concedit.

FEDERICO CARDINALE ETC.

Essendo noi certificati per fede della Veneranda Madre che Suor Nouitia nel suo Monastero, hà passato l'anno del suo Nouitiato con modestia religiosa, sì nell'habito, come nel resto, & essendo essa d'età di sedeci anni forniti, concediamo però licenza alla sodetta Madre, che alla presenza del suo Padre Confessore, stando egli nella Chiesa esteriore al fenestrino, doue si fà la Santissima Communione, e seruandosi tutti gli ordini sopra di ciò dati, possa riceuer la sua professione espressa, e solenne; essendo di già stata essaminata, & approuata, facendoci auuisati con scrittura del giorno, & alla cui presenza habbi fatta detta professione.

Conclusio est, *Sanch. lo. cit. nu.* 71. Qui etiam dicit, quod licet Epicopus solus nequeat creare Moniales in conuentu sibi subdito,

dito, tametsi penuriam Monialium pateretur, & Conuentus monitus assignato sibi termino nollet admittere, posset ipse supplere Conuentus consensum. Quod probant Dominicus *cap. finali, num. 5. & ibi Francus in fin. de regular. in 6.*

Probat supradictam conclusionem hoc pacto ipse *Sanchez*, quod, & si solus Pontifex possit impedimenta reddentia directe irritam professionem statuere, possunt nihilominus Prælati inferiores in casu speciali, & ex iusta causa, non directe irritando, sed indirecte, nempe, suspendendo facultatem admittendi.

Sicut quamuis nequeat Episcopus, sequitur *Sanchez*, impedimenta matrimonium dirementia statuere, potest tamen in casu speciali, & ex iusta causa, suspendere facultatem parochi ad assistendum cuidam matrimonio, absque ipsius Episcopi licentia. Et tunc aliter initum matrimonium erit nullum, defectu auctoritatis in parocho, vt nos supra in Collectaneis probauimus.

Hæc tamen opinio non recipitur, immo impugnatur à multis, sed nullum afferunt pro contraria sententia Doctorem; nam omnes, quos ipsi allegant, loquuntur tantum de prohibitione simplici, non autem de illa, quæ decretum irritans habet adnexum, vt legentibus, ac mature considerantibus, satis patet. Sed iudicium de hoc particulari, & de ceteris omnibus penes superiores, quibus mea omnia, & me ipsum lubens subijcio, paratus ad canendam palinodiam semper, cum eis libuerit.

Reprehendor etiam, dum in Collectaneis supradictis *nu. 73.* assero, valere etiam consuetudinem contra ius diuinum, cũ malorum occasio adest, quia sicut Papa diuinum ius interpretatur, ita & consuetudo; cum omnium Theologorum sit constans opinio, consuetudinem nullam contra ius diuinum valere; quoniam ius diuinum est à Deo constitutum, quod ipse præcipit, vt seruetur; igitur sicut non potest humana lege tolli, sic nec consuetudine, quæ vim tantum ex moribus vtentium sortitur, & obtinet. Sed animaduertendum est, canonis, & ciuilis iuris Interpretes docere, ius diuinum posse iustis de causis augeri, restringi, contrahi, minui, & ex parte mutari, distingui consuetudine, &

consti-

constitutione humana. Sic *Innoc. Host. Io. And. Abb. & Felyn. in cap. vlt. de consuet.* Sic quoque *Cynus*; & id commune esse inter iuris ciuilis Doctores *in leg. manumiss. ff. de iust. & iur. & l. 2. C. de seruis.* testatur *Azorius p. 1. Inst. Mor. lib. 5. cap. 17. q. 2.* Et ideo citati Doctores hoc docent, quia latius, quam Theologi ius diuinũ accipiunt isti, cum quibus ego quoque *loc. cit.* ius ipsum diuinum accepi, vt etiam ex supposita materia, & ex contextu disputationis colligi licet.

Resolutio igitur Theologorum intelligenda est de iure Diuino stricte, seu extra casum, in quo iusta causa adsit agendi contra ipsum, vt scribit *Reginaldus lib. 13. suæ Praxis num. 252.* Quia tali data, vt Summi Pontificis dispensatione, seu interpretatione, ita & consuetudine ab eodem Pontifice scienter tolereta, potest obtineri, vt taliter agendo non peccetur.

Concludamus igitur cum *Suarez de legibus lib. 7. cap. 4. nu. 13.* consuetudinem nullum effectum habere contra legem diuinam; & ratio est, quia licet materia talis legis non sit intrinsece mala, sed solum quia prohibita, & ea ex parte non repugnaret per consuetudinem introduci, tamen quia illa prohibitio diuina est, non possunt homines contra illam præualere, quia non possunt mutare diuinam legem, aut voluntatem. Nec Deus ipse censetur cõniuere, & auferre legem, quia nullum est principium, vel fundamentum ad hoc præsumendum de diuina voluntate, neq; etiam erat expediens, aut diuinam decens auctoritatem; oportet enim legem eius immutabilem esse. Dicunt autem aliqui ex Iuristis, posse consuetudinem limitare, & quasi dispensare in Diuino iure, si iusta causa subsit. Sed non est intelligendum de propria limitatione, vel dispensatione, quæ obligationem legis præexistentis ex parte tollat; in hoc enim sensu falsum id est; nam ratio facta de tota lege procedit cum proportione de parte. Debet igitur intelligi per modum interpretationis; sic enim consuetudo potest interpretari legem, etiam diuinam, & quod in tali casu, & tali causa interueniente, nõ obligat, quia non pro illo casu posita est. Sic *Suarez*, sic ergo quoque in Collectaneus in ferre voluri, & non aliud.

Sanchez

Sanchez tamen *lib. 8. de matr. disput. 6. nu. 5. & seq.* citatis multis Theologis, & Iuris interpretibus, proprie dispensationem cadere in aliqua pręcepta naturalia, & diuina docet, dicendo, Pontificem aliquando dispensare in iure naturali, & diuino, non in vniuersum id ius, in quo dispensat, abrogando, sed eius obligationem vere tollendo per veram dispensationem in casu aliquo speciali, ex causa vrgenti. Non enim ipse *Sanchez* solum tribuit Pontifici, posse interpretari legem diuinam in aliquo casu speciali minime obligare, quia id non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ, ac doctrinę, ac proinde viris doctis id liceret; sed etiã vere, & proprie in aliquibus præceptis naturalibus, & diuinis dispensare posse. Patet id in dispensatione voti, iuramenti, ac residentiæ Episcoporum, quæ vt videtur docere *Trid. sess. 23. cap. 1.* est de iure naturali diuino; vbi semper Pontifex vtitur verbo dispensationis, nõ interpretationis. Sed quid quid sit, sufficit, quod vota, & iuramenta, licet iure naturali obligent, tamen eorum obligatio humana auctoritate tolli potest. Adde, quod *in l. ius ciuile ff. de iust. & iur.* dicitur, ius ciuile effici, cum aliquod additur, vel detrahitur iuri communi, idest naturali, & gentium; vt explicat *glos. ibi*; Igitur humana auctoritate potest derogari iuri naturæ. Sed lex humana, & consuetudo eamdem vim habet, vt supponitur; igitur quod lege tollitur, etiam cõsuetudine tolli potest.

6 *Finito anno probationis, debet statim Nouitia ad professionem admitti, vel eijci.*

ILLVSTRATIONES.

Conc. *Trid. sess. 25. cap. 16. de Regulari.* Sed hoc non obstante dicunt Doct. quod si iusta causa interuenerit, poterunt Superiores illam diferre; vt si v.g. Nouitia non bene recitet diuinũ officium, vel quid simile ad arbitrium pij, ac prudentes Prælati. Et sic declarasse. *Congreg. Card.* refert *Rodriquez Tom. 3. quæst. 17. art. 10.* Sæpe etiam Monialium professio differtur, donec dotem competentem habeant.

Idem

Idem *Conc.loc.cit.cap.* 17. decernit, quod ne professionis tempus ignoret Episcopus, teneatur Præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere; quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

7 *Nouitiæ absque causa, ex odio, & affectu humano negare suffragium ad professionem, est peccatum mortale.*

ILLVSTRATIONES.

Portel V. Nouitius num. 55. Probat, quia est contra charitatem proximi arcere dignos, & contra quasi contractum iam factum inter ordinem, & Nouitiam, vt si dignus inueniatur, admittendus sit, & iam Nouitius videtur habere ius ad rem. Adde, quod expulsio huiusmodi, maxime in Monialibus vt plurimum cedit in eius infamiam.

8 *Nouitiæ ante professionem sunt examinandæ ab Episcopo, vel eius Vicario, an libere profiteri velint.*

ILLVSTRATIONES.

Et hoc fieri debet extra septa in Ecclesia, aut circa præsentibus Notario, & duabus grauibus matronis non consanguineis, vel puellæ coniunctis. *Zypæus in de Iure Pontificio nouo lib.* 3. *de regular.numer.* 30. *qui cum Zerola* testatur sic, *Sacram Congreg.* declarasse. Qui etiam ex *Choppin.* ait, contradicente etiam patre hæretico, examinationem à Senatu *Parisien.* indictam esse, & filiam arbitrio suo permissam. Id præstare debet & Episcopus, non obstante quod Monasterium sit Regularibus subiectum, vel alias ab eius iurisdictione exemptum, vt aduertit *Barbosa loc.cit. Allegat.* 100.*num.*4.& nos supra diximus.

An vero ex defectu huius examinis reddatur irrita professio, *Sanch.loc.cit.lib.*5.*c.*4.*nu.*84.negat.quia & si *Trid.sess.*25.*de regul.*

cap. 17.

*cap.*17. id examen professioni præmitti iubeat, at eã aliter emissam non reddit irritam, vt solet explicare, quando id vult, & fecit in alio casu, *Ead. sess. c.* 15. & ita docet *Menochius consil.* 396. *num. vltimo, volum.* 4. Erit tamen peccatum Nouitiam non præmisso illo examine profiteri. Nec ipsa sola peccat, sed etiam Abbatissa, vel Prælatus admittens professionem.

Barbosa loc. cit. num. 9. ex *Sacra Congregatione* asserit, quòd à Sacris Virginibus, à quibus non solum habitus est susceptus, sed iam professio facta, sine prædicto examine, nihil ordinarius debet sciscitari, sed permittere eas in suo statu permanere. In Abbatissas tamen animaduerte posse ait.

Animaduertit tamen *Sanchez*, quod quamuis *Trid.* duplex examen petat, maiori duodecim annis ingrediente religionem, vti vidimus, vsu tamen iam receptum est, vt vnicum puellæ quacumque ætate ingredientis præmittatur, nimirum, quando professura est, vt docet etiam *Rodriq. quæst. Regular. Tom.* 3. *quæst.* 12. *artic.* 2.

Diximus in conclusione, huiusmodi examen posse fieri etiam à Vicario, sed notandum est, ad hoc requiri peculiarem commissionem, & speciale mandatum, vt ex *Sbroz.* concludit. *Barbosa de offic. Episc. Allegat.* 54. *num.* 88. Qui etiam ex *Trid. Allegat.* 100. *num.* 8. concludit, Vicarium non posse examinare, nisi Episcopo impedito. Qui certior factus de professione emittenda intra 25. dies examen perficere tenetur, quibus ex actis amplius se non intromittat. Decisum referunt DD. apud *Barbos. supra num.* 3.

9 *Professio est nulla* 1. *ex defectu ætatis, & anni integri.*

ILLVSTRATIONES.

Conc. *Trid. d. sess.* 25 *cap.* 15. *de Regular.* hæc duo impedimenta annullatiua professionis ponit. Primum si fiat ante annum ætatis 16. expletum. Secundum, si fiat ante annum integrum nouitiatus.

Quando ibi *Trid.* requirit annum expletum, non sufficit, vt an-

nus ſit inchoatus, ſicut ſufficit ad ordines. Sed ita debet eſſe expletus, vt neq; dies illi deſit, immo neque hora. Sic *Sanchez lib.2. de matrim. disput. 24. num. 22.* Qui etiam ait, ſi compleatur hic annus in anno biſſextili, *6.* Kal. Mart. cenſendum eſſe compleri in die ſecundo, qui *6.* Kal. Mart. ſimiliter dicitur; nempe vigeſimo quinto die menſis Februarij, in puncto horæ reſpondenti puncto diei natiuitatis. Et ratio eſt, quia vtraque dies, vt ſupra diximus, vna cenſetur; & quia dies ſecunda eſt complementum quadriennij præcedentis, cui id deerat ad complementum circuli integre ſolis per Zodiacum, ideo ad complementum illius ætatis, ea dies accipienda eſt.

Bonacina etiam de ſacram. *Disput. 8. quæſt. vnica, punc. 5. nu. 15.* amplectitur hanc ſententiam, dicens, annos computandos eſſe iuxta ritus, & vſum Eccleſiæ, vt in ſimili tradunt DD. de interſtitijs. Vſu autem Eccleſiæ receptum eſt, vt dies Biſſexti computetur; alioquin non ſolum non eſſet computandus dies præſentis anni biſſextilis, verum neque annorum præcedentium biſſextilium; quod dicit *Bonacina* eſſe contra vſum, & praxim in ſua Eccleſia Mediolanenſi receptum, vbi ad ſacerdotium non admittitur, qui eadem hora, in qua habetur Sacra ordinatio, complet 24. annum, non habita ratione annorum biſſextilium.

Contrarium tamen aſſerit *Barboſa loc. cit. Allegat.* 101. *num.* 20. *&* 21. ex multis Doct. Nam probationis annus eſſe debet annus à Republica taxatus, atque vt alijs declaratus, id quod communiter ſeruatur in alijs negotijs, atque commercijs humanis. Affert pro hac ſua aſſertione factum *Greg. XIII.* cuius auctoritate ipſe Pontifex ab anno 1582. dempti ſunt decem dies, hoc eſt à 5. die Octobris vſque ad 16. & tamen ille annus debet integer reputari, nec in ſequentibus expectandi ſunt illi decem dies; quamuis enim non fuerit integer materialiter, & ſecundum curſum ſolarem, fuit tamen integer ciuiliter, atque politice.

Quæ opinio non diſplicet etiam ipſi *Sanchez*, dum *lib. 5. op. mor. cap. 4. num.* 5. Sic ait, placet quod tradit Henriquez, nempe annum 1582. ex quo dies decem abſtulit *Greg. XIII.* reputari annum integrum ad ætatem profeſſioni petitum, nec ſupplendas

eſſe

esse dies illas decem ex alio anno. Idem sentit Henriquez de ætate ad sacros ordines petita. Et ipse *Sanchez* asserit, idem esse sentiendum de ætate ad quæcumque officia, & beneficia iure petita, & de anno nouitiatus. Quia omnium horum vna est ratio, quod *Greg. XIII.* ea, ad quæ non reputari integrum voluit, expresse excepit; nimirum ea, quæ sunt in tertij preiudicium, vt solutiones censuum, & locationum, quare quo ad cetera manet integer.

Stephanus Gratianus Discept. Forens. Tom. 3. cap. 413. nu. 16. & seq. probat, professionem factam eadem die, in qua habitus probationis susceptus est, esse validam, quamuis adfuerit defectus sex horarum in circa; sumus enim in actu professionis, quæ est fauorabilis, cum per eam quis vniatur Deo, cui seruire regnare est; maxime respectu religionis, cui in dubio fauendum est, & pro validitate professionis iudicandum. In fauorabilibus autem dies termini computatur in termino, si fauor id suadet, quidquid alias non deberet computari. Et facit quod quando tempus designatur per annum, tunc semper vltima dies anni statim, atque fuerit inchoata habetur pro completa in fauorabilibus, quidquid aliud sit, quando tempus non designaretur per annos, sed per dies.

Portel loc. cit. Verbo Nouitia num. 5. dicit, quod Nouitia in Monasterio Monialium S. Dominici, si sit in articulo mortis, potest emittere professionem, etiam non completo anno Nouitiatus; & si moriatur, consequitur Indulgentiam plenariam in forma Iubilei. Concessit Pius V. Monialibus S. Dominici pro Nouitijs illarum. Refert *Capuccinus V. Abbatissa,* dicens, priuilegium hoc communicari ceteris Nouitijs aliarum Monialium.

Et quamuis illa Indulgentia concessa pro professione, vt concessa à Pio V. cessauerit per reuocationem *Pauli V.* tamen idem Paulus denuo concessit Indulgentiam plenariam in die professionis; cumque non reuocet priuilegia, sed solum Indulgentiam, manet adhuc firmum priuilegium illud *Pij V.* de anticipāda professione ante annum, & proinde lucrabitur Indulgentia, vt optime aduertit idem *Portel loc. cit.*

Qui etiam respondet quęrenti, an si prędicta Nouitia sic professa anticipato anno conualescat, professio illa teneat, an vero debeat finito nouitiatu iterum profiteri, professionem dictā non valere, sed teneri continuare nouitiatum, & aliam emittere suo tempore. Quod si prædicta Nouitia postea sic professa moriatur, nō potest Conuentus ratione illius adire hereditatem, vel dotem accipere. Sed nos de dote, sicut etiam de donatione, de testamento, & de alijs similibus à Nouitijs ante professionem faciendis in Maximis egimus, & nonnulla etiam supra attigimus. Addū tamē hic, quod fugitiua Moniali inter Conuertitas reposita, dari debent Monasterio Cōuertitarum bona illius, sed post eius obitu priori Monasterio restituenda sunt. *Gauantus loc. cit. Sanchez* tamen *lib. 5. cap. 4. num. 16.* existimat Monasterium succedere eodem prorsus modo, quo succedit in bona profitentium legitimo anno nouitiatus peracto. Ratio, quia & si concessionis finis sit consolatio nouitiæ, specialisque ipsius fructus, & nulla successionis Monasterij in bona mentio ibi fiat; at vbi semel virtute illius priuilegij professa est, redditur vere in posterum professa, nec ad pristinam sanitatē restituta indiget alia professione, sed fruetur omnibus professarum priuilegijs. At eo ipso, quod aliqua persona profitetur, succedit Monasterium ipsi. Quare Pontifex nulli iuri alterius in hoc derogat. Ius enim venientium ab intestato est, vt ex Moniali decedente nouitia, & intestata, ipsi succedant; quando autem virtute priuilegij profitetur, non decedit nouitia.

Barbosa Allegat. 101. *nu.* 3. tenet, quod Nouitij in articulo mortis, etiamsi annum probationis non expleuerint, possunt profiteri, dummodo habeāt legitimam ætatem ad profitendum; & cum *Beia* vult professionem huiusmodi esse validam; teneri tamen Nouitium, si ex ea infirmitate non decesserit, complere postea integrum probationis annum.

10 *Professio est nulla 2. si ex parte Nouitiæ deficiat consensus.*

ILLVSTRATIONES.

Ratio, quia de ratione contractus naturalis, & ciuilis est, vt ex vtraque parte contrahentium sit consensus. Probatio vero

vero istius defectus ex parte Nouitiæ erit difficilis, neque illi credetur, nisi probauerit valde vehemētem presumptionem in foro externo. Si vero sibi constet in foro interno tantum, se non consensisse, re vera non est professa. At si hæc taliter professa nulliter ex defectu consensus, secum sola in animo consentiat in Monachatu, & professione, manet professa absque alia diligentia. *Nauar.lib.3. Consil.tit.de Regular.cons.*24.

11 *Professio est nulla 3. si fiat per grauem metum incussum.*

ILLVSTRATIONES.

Metus enim cadens in constantem virum, immo & metus minor, grauis videlicet, annullat contractum naturaliter, quia tollit consensum liberum. Et est communis Doctorum. Et de hoc prudentis arbitrio standum erit; minor enim metus annullabit professionem feminæ, quam viri, & sic de cetero intra terminos metus grauis. *Portel V. Professio num.*12.

An vero metus reuerentialis parentum excuset à valore professionis, alij aiunt, alij negant. Vtraque opinio est probabilis. Pro opinione affirmante habetur *Declaratio Card. in qua Romæ ann.*1585. lata est sententia, in qua declaratum fuit, fuisse nullam vnam professionem feminæ factum ob solum metum reuerentialem, sic ex *Farinacio Portel.*

Qui etiam hec duo prudenter addit; Primum, qualitatem metus, quando sit cadens in constantem virum, relinqui iudicādam prudentis arbitrio, vti diximus. Secundum, quod si porta aperiatur hodie, maxime in Monialibus, circa professionis nullitatem ob metum reuerentialem, lites in numeræ suborirentur.

*Idem V. Moniales in Addit.num.*11. credit, metum reuerentialem absque minis, & coactione non inducere excommunicationem, quia parētes, vel consanguinei in illo timore incutiendo, nō se habet actiue, etiam si manifestent puellæ talem statum Monachalem illi conuenire, & quod non habeant dotem pro matrimonio, vel eo quod non illi securum erit manere in sæculo absque

matri-

matrimonio, & absque Monachatu, & hæc est praxis in tota fere Ecclesia, iuxta quam facientes parẽtes, nemo iudicat excommunicatos. Immo etiamsi parentes, vel alij importunis precibus suaderent puellæ, vt ingrederetur, non incurrerent, quia suasio etiam importuna non è coactio.

12 *Femina, quæ fingens se esse hominem professa est in Conuentu virorum, intendens se obligare ad religionem, manet vere professa.*

ILLVSTRATIONES.

Comitolus lib. 2. Resp. Moral. q. 8. & citat alios Doct. ac affirmat, sic à se responsum fuisse in facti contingentia in Italia, licet pauci negent. Subscribit *Comitolo Portel loc. cit. num.* 23. & rationem affert, quia talis femina emisit vota essentialia, in quibus consistit essentia religionis, ad quam essentiam per accidens est distinctio sexus. Notat etiam, quod prædicta femina hodie id faciens excommunicationem incurrit, ob ingressum in Conuentum virorum; & casu deprehenso, reponi debet à Prælato in Cõuentu Monialium sub clausura; & talis excommunicatio, cum qua professa est, non annullat professionem.

Sanchez tamen *d. lib.* 5. *cap* 4. tenet, professionem supradictam esse irritam, ratio, quia professio ad sui valorem petit consensum profitentis, & admittentis professionem, vt dictum est. At vterque, aut saltem alter defuit. Citat Doct. pro hac sententia.

Narrat *Portel in Add. ad Addit. num.* 10. de quadam femina adolescẽte, quæ paucis ad hinc annis, mutato habitu sub nomine Donati seruiuit in quodam Conuentu fratrum Minorum in Hispania per quattuor annos, cum nimia simplicitate, deuotione, vigilijs, & oratione, ac penitentia; idque semper intra clausuram virorum; quam cum Prouincialis reperisset, & intelligens illam reliquisse domum patris, quia illam volebat matrimonio tradere, contra suam voluntatem, eo quod virginitatem Deo consecrasset, ac attenta rei nouitate, ac pietate, fecit illam admitti in

Con-

Conuentu Monialium in oppido Pontis Vedræ, vbi professa solemniter, vocata est Maria de Santo Antonio, & viuebat cum magna opinione Sanctitatis Anno 1611.

Quid autem tenendum sit de hermaphrodito circa professionem, legatur *Sanchez loc cit. cap. 4. nu. 41. Portel item loc cit nu. 1.* scribit de quadam Moniali, quæ transacto anno, vel duobus annis post professionem effecta est hermaphrodita, immo cum solo sexu masculino mansit. Vbi *num. seq.* disputat, quomodo circa huiusmodi casum se gerere debeat Superior.

13 *Monialis prætendens se non esse professam, & habitum dimittere volens, non auditur, nisi id fecerit intra quinquennium à die professionis.*

ILLVSTRATIONES.

CONc. *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 11.* Circa quod notandum est, quod licet *Trid.* dicat, non esse audiendam, nisi reclamauerit intra quinquennium, tamen si allegauerit causas, ob quas non reclamauit intra quinquennium, quia sc. vel ignorauit, vel non potuit ob metum parentum viuentium, vel quid simile, est audienda, si causæ allegatæ sint iustæ, & probentur. *Rodriq. Tom. 3. quæst. 37. artic. 16.* Sed aduertendum est tamen cum *Portel cit. num. 45.* hodie esse in praxi, quod vt possit audiri, debet impetrari rescriptum à Papa; & quod sine hoc Prælatus, nec Episcopus possunt audire. Et hoc est petere restitutionem quinquennij à Papa; nam absque tali rescripto videbuntur Prælatus, & Episcopus contraire expresso decreto Tridentini.

Notandum est, quod, quando professio inualida probari potest coram Ecclesia, non debetis, qui publice professus est, & existimatur religiosus, relinquere habitũ, & statum propria auctoritate, sed petendo libertatem suam ab Ecclesiastico Prælato. Hoc colligitur ex *Trid. sess. 23. cap. 19. de Regular.* ibi, *& tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quod si antea habitum demiserit, nullatenus ad allegandam*

dam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur; interim vero nullo priuilegio suæ religionis priuetur. Si tamen is velit habitum dimissum reassumere ad hũc effectum, vt audiatur, putat *Suarez Tom.3.de Relig. cap.*4.*num.*14. *cum Nauar.* non esse illi audientiam denegandam existimat enim Concilium esse ex quadam æquitate intelligendum, scilicet, quod non audiatur, quando fugitiuus, & sine habitu permansit.

14 *Monialis, quæ fecit professionem irritam ex defectu ætatis, si vult postea ratificare professionẽ, non indiget nouo anno nouitiatus.*

ILLVSTRATIONES.

Ratio, quia iam experta est Religionem. Et præterea *Conc. Trid. sess.*25.*de Regular. cap.*15. annullat professionem, sed non annullat receptionem, & gestationem habitus. Neque item opus est, vt fiat denuo Nouitiatus, si Papa dispensat in impedimento annullatiuo professionis. Quod intellige, nisi tale impedimentum annullaret professionem, & receptionem habitus, vt fecit Sixtus V. in prima Bulla contra illegitimos. Ex *Rodriquez Portel num.*53.

Sanchez insuper *lib.*7. *de matrim. Disput.*37. *num.*48. credit, non esse iterandum nouitiatum, quamuis publica esset nullitas professionis, & nouitiatus, ob professi inhabilitatem. Ratio, quia finis *Trid.* petentis præmitti professioni annum nouitiatus, nimirum experiri austeritates religionis, ac ipsius religionis mores; æque seruatur, siue prior professio, & nouitiatus irrita fuerit ob impedimentum occultum, siue ob publicum.

Idem *Sanchez num.*50. tenet, non esse iterandum nouitiatum, quod non fuerit præmissus anno integro professioni; sed sufficere professionem illam ratificare cõpleto tempore, quod deerat illi anno. Quia nullum vitium in nouitiatu interfuit, nec quidquam refert, illum expletum esse professorum habitu assumpto. Idem asserit, quando professio existit nulla ratione metus.

Si quis

Si quis autem vellet contrariã opinionem amplecti, & iterare nouitiatum, vt vel sic tutior esset ratificatio professionis, esset facile remedium, vt ait *Sanchez num.* 57. ne cum infamiæ nota repeteretur; detecto scilicet sub sigillo confessionis vitio Superiori, petere vt ipsum denuo admittat ad nouitiatum peragendum inter ceteros professos, habitu eorum gestato. Quod si non sufficiat consensus Prælati ad nouitij admissionem, sed desideretur simul conuentus consensus, potest petere Prælatus conuentus suffragia, tacito professi nomine, & explicata prioris professionis nullitate. Vel potest, vt id necessarium non sit, ac conscientia pacetur, impetrari secreto Pontificia dispensatio nouitiatum supplens.

15 *Monialis potest ad aliam religionem perfectiorem transire.*

ILLVSTRATIONES.

B*Onacina de clausura, quæst.* 1. *punct.* 9. *num.* 11. Ratio est, tum quia commoui Monialium bono conducit posse perfectiorem religionem capescere; nec præsumẽdum est, summum Pontificem velle Spiritui Sancto ad perfectiorem statum excitãti resistere, & aditum perfectioni occludere. Tum quia *in cap. licet de regular. viris religiosis* conceditur transitus ad arctiorem religionem; Ergo idem etiam concessus censetur Monialibus, cum eadem in vtrisque ratio militet, & ob id clausura detrimentum non patiatur.

Azorius tamen *Tom.* 1. *Inst. Moral. lib.* 13. *cap.* 8. *q.* 1. ait, hodie non licere Monialibus hunc trãsitum, quamuis olim licuerit. Sed *Sanchez loc. cit lib* 6. *cap.* 7 *num.* 6 tenet, hodie adhuc licere. Nam olim licebat, *vt probat ipse ex text. & Doct.* nec constat, vbi id ius commune sublatum sit; quia in hoc casu non loquitur Tridentinum, nec *Motus proprius Pij V.* tantum enim transitum ex alijs causis interdicunt, ne sit materia vagandi Monialibus, nec instinctui Spiritus Sancti ad arctiorem vitam ducendam Moniales instigantis occludere viam volunt. Vide *Bonac. loc. cit. quæst.* 2. *pun.* 9. §. 2. *nu.* 4. vbi citat pro hac sententia *DD & Sacram Congreg.*

Concludens, Monialem posse ad arctiorem religionem transire, petita prius à Superiore ordinario licentiam, etiam si forte non obtineatur.

16 ***Monialis volens ad strictiorem Religionem transire, non satisfacit petendo ab Abbatissa licentiam.***

ILLVSTRATIONES.

RAtio, tum quia Abbatissa non est proprie Prelata; tum quia in concedenda licentia transeundi ferendum est iudicium, an volens transire Spiritu sancto ducatur; huiusmodi autem iudicium non videtur mulieribus concessum. Tum quia cum agatur de egressu à Monasterio, strictissimę clausuræ subiecto, & Abbatissa ingrediendi facultatem concedere nequeat, sequitur Abbatissam non posse Moniali concedere facultatem transeundi ad aliam Religionem; sed huiusmodi licentiam petẽdam esse à Prælato, cui subsunt Moniales, siue is sit Episcopus, siue Prælatus regularis. Ita è *Rodriq.* & *Sanchez Bonac. loc. cit.* §. 3. *Diff.* 1. *num.* 11.

Sacra tamen Congregatio, vt ait *Ricciul. Tract. de Iure personarum lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 10. non semel censuit, ad eam in similibus casibus esse recurrendum. Et quo securius in hac materia procedatur, eadem Sacra Congregatio similes licentias concedere non consueuit, nisi quibusdam conditionibus adiectis, quarum prima est, vt antequam à primo Monasterio Monialis egrediatur, aliud sit paratũ, in quo beneuolas habeat receptrices, quodque in eo capitulariter per secreta suffragia recipiatur. Secunda, vt dotem à ceteris Monialibus prętari solitam persoluat. Tertia, vt spes illi auferatur ad primum Monasterium redeundi. Quarta, vt translatio fiat comitantibus Matronis consanguineis grauibus, ab vno ad aliud Monasterium, recta via, absque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur nisi causa hospitij, idq; non nisi apud honestas personas, vt pluries se obseruari vidisse, & signanter *in vna Nannetens.* 16. *Ian.* 1615. & *in Redonen.* 31. *Ian.* 1613. testatur *ipse Riciullus*.

Monia-

17 *Monialis auctoritate Papæ translata ad suam instantiam, vel ad instantiam secundi Monasterij, de vno Monasterio ad aliud, non potest deferre dotem, vel alia bona priori Monasterio acquisita.*

ILLVSTRATIONES.

RAtio, tum quia dos, & alia bona non fuerunt tradita sub conditione, si in eo Monasterio manserit, sed solũ sub conditione si professionem emiserit; cum autem professionem in dicto Monasterio emiserit, sequitur prius Monasterium esse absolutum dominum prædictorum bonorum. Tum quia posterius Monasterium hoc sibi incommodum imputare debet, cum volẽs admittat Monialem, quæ nihil proprij habet, cũ ipsius dos priori Monasterio acquisita fuerit. Sic *Bonac. loc. cit. num. 6. & citat DD.*

Dictum est ad suam instãtiam, vel ad instantiam secundi Monasterij; quia si secundum Monasterium coactum fuit illam admittere, dos soluenda est. Sed vidimus è Sacra Congreg. in omni casu transitus ad aliam Religionem dotem requiri. Quid autem iudicandum sit de peculio, hereditate, vsufructu, ac alijs bonis Monialis ad aliam Religionem transeuntes, legatur idem *Bonac. loc. cit. per totam diff. 2.*

18 *Monialis transiens de vna religione ad aliam, tenetur nouum peragere nouitiatum in secunda Religione, ad quam transit.*

ILLVSTRATIONES.

RAtio, quia qui professionem in aliqua religione facturus est, debet illius asperitates, & onera experiri, tam vt ipse cognoscat, an religio sibi placeat, quam vt ipsamet Religio probet, an præfatus religiosus suæ religioni aptus sit, & idoneus; fieri enim potest, vt vnus vni religioni idoneus sit, & non alteri; sed religiosus prædictas asperitates, & onera experitur, præuio no-

nitiatu. Sic *Bonacina loco citat. quaest. 2. puncto 9. §. 2. numero 10.* Et, vt notat *Barbosa in cap. licet de regular. num. 25.* taliter translatus in probatione existere dēt per spatium vnius anni continui, eo modo, quo ceteri sæculares, & de nouo in eadem profiteri. Et ideo *Rota* apud *Facinac. decis. 115. nu. 7. par. 2.* recentiorum, censuit, quod Monialis vnius Monasterij, vbi ad aliud transfertur, si non emittit professionem in secundo Monasterio, non fit Monialis illius. Et *num. 8.* tenet, sufficere professionem emissam in primo Monasterio ad aliud eiusdem Regulæ, vel vbi translatio fiat de auctoritate Papæ, & citat *Rebuff. de translat. Monachi in princip.* sed vidimus semper huiusmodi translationem Sacræ Congreg. auctoritate esse faciendam.

Barbosa item *num. seq.* è *Feder. Senens.* ait, quod quando Monachus vnius Monasterij in aliud transfertur, solet de stylo poni hęc clausula, Te de Monasterio Furcens. cuius Monachus existis, ad Monasterium Sanctæ Mariæ auctoritate Apostolica transferentes, ac volentes, ac decernētes ex nunc eiusdem Monasterij Sanctæ Mariæ Monachus censearis, & in eo recipiaris in Monachum, &c.

19 *Transiens ad aliam Religionem non tenetur ad vota primæ religionis.*

ILLVSTRATIONES.

Ratio est, vt ait *Bonac. loc. cit. difficul. 1. num. 1.* Tum, quia huiusmodi vota sunt annexa priori statui, non vero secundo; cessante autem principali cessat accessorium. Tum, quia vota primæ religionis commutantur in vota secundæ; is autem, cuius vota in alia commutata fuerunt, non tenetur illa seruare.

20 *Debet sic translatus in secunda religione sedere, iuxta tempus, quo professionem in secunda emisit.*

ILLVSTRATIONES.

Hoc vero non sequitur, si translatus fuisset de vna in aliam religionē vt Superior; nam tunc finito officio, sedebit post Præ-

Prælatum, in memoriam gradus, & honoris, quem gessit; & manebit Monachus secũdæ religionis, quia emittere debet professionem in secunda religione. *Bonac. num. 3. ex multis Doct.* qui tamen fatetur, sibi magis placere opinionem *Petri de Perusio, & aliorum apud Rodriquez*, asserentium, prefatum religiosum, regulariter loquendo manere subditum, siue Monachum primæ religionis; quia qui ad aliam religionem proficiscitur, vt ibi sit Prælatus, nõ solet ibi professionem emittere, cum professio integrum nouitiatus annum prærequirat, nisi in hac parte à Sede Apostolica dispensetur; subiectio autem religioni acquiritur per professionem.

Campanil. In diuers. Iur. Canon. rubr. 12. per totum capital. 12. Antiquiorem in religione probat esse eum, qui professionem antea emisit, asserens insuper, Religiosum non posse consentire, vt in loco sedeat inferiori, quam sibi competit attenta professione. In Religione Minorum obseruantiæ S. Francisci locum sedendi, & præcedentiæ considerari à susceptione habitus. In reliquis vero dumtaxat attendendum esse tempus professionis. Dummodo aliud non admiserit consuetudo, aut Regula. *Lauorius de elect. canonica Tit. 4. cap. 15. num. 84.* testatur & ipse, eum, qui prior professionem emiserit, non autem qui maioris est ætatis, seu prioris ingressus ad religionem, esse in religione antiquiorem; subiungens ita *Sacram Congreg. Conc.* Circa Moniales declarasse.

Scrofa in suo eruditissimo opusculo de inualiditate professionis, &c. dub. 12. num. 2. pro certo, & indubitato tenendum esse affirmat, tempus professionis prædictæ, quoad obtinendam prioritatem, & prærogatiuam super alios, à die professionis realiter emissæ tantum currere, & non antea, licet iniuste illa fuisset retardata.

Al Vicario di Padoua. Reuerendo Signor, è stato più volte risoluto nella Sacra Congregatione, che la precedenza tra le Monache s'habbia da regolare dalla professione, e non dall'habito; & quando due professano insieme nel medesimo punto, debba preceder quella, che prima è stata vestita; & se ancora fossero vestite in vn medesimo tempo, data similmente la parità della professione, preceda quella, che prima è stata accettata, senza hauere consideratione ad altri rispetti; per che può

succe-

succedere, che si vesta vna citella di dodeci anni, che habbia da espettare 4. anni à professare, e dopo lei vna di 15. laquale faccia la professione dopò l'anno, & hauendo questa professato prima, conuiene ancora che preceda l'altra, che fà la professione dopò, se bene sia stata prima vestita. Con questa adunque regola voi potrete terminare la differenza nata nel Monasterio di Santa Agata, e fare che questo medesimo ordine s'osserui in tutti i Monasterij, doue succedesse occasione di simile contesa, e state sano. Roma li 30. *Luglio* 1608.

Al piacer vostro Il Cardinal Gallo.

21 *Licitum est transferre Monialem ad aliud Monasterium correctionis gratia.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Miranda de Monialibus quæst.* 3. *art.* 2. Vt e. g. si acciderit, quod aliqua Monialis non possit corrigi in Monasterio, vbi habitat, ob timorem suorum parentum, quia tunc posset duci ad aliud Monasterium, vt puniatur, & debite corrigatur.

Non tamen Monialis eijci potest propter incorrigibilitatem, sed includenda est in Monasterij carcere, ne alijs offendiculo sit. Sic *Sanchez lib. 6. cap. 9. num. 6.* Licet attento rigore id fieri posse afferat, sed innuit nullo pacto id esse peragendum, quia praxis huccusque nõ recepit Monialem expelli, tamquam incorrigibilem; nec Doctorem inuenisse id dicentem; neque ex aliqua historia constare aliquam eiectam esse. Idem affirmat *Bonac. loc. cit. num.* 14. & citat *Cocinum Rotæ Romanæ Decanum in vna Vlixbonen. Monast.* 19. *Nouemb.* 1625.

Barbosa etiam in Collect. Doct. in cap. ne religiosi de regular. nu. 16. ait, certius esse, Moniales propter incorrigibilitatem non esse eijciendas simpliciter è Monasterio; sed nisi ibi puniatur, posse ad aliud transferri, *vt est constit. Vrbani IV.* quæ constitutio in hac parte, neque per *Constitutionem Pij V.* neque per *Concilium Trid.* licet strictiora sint, censetur reuocata.

Cum

22 *Conuertitæ per ingressum Monasterij emittunt professionem.*

ILLVSTRATIONES.

POtest Nouitia intra annum probationis siue apostasiæ nota ad sæculum resilire; non tamen id procedit in Monasterijs illarum mulierum, quæ lupanaris impudicitiam pertesę, ad bonā vitæ frugem conuertuntur, quos nos vulgari vocabulo conuertitas nuncupamus; in illis enim ex laudabili more, & ex Constitutionibus iam olim in eorum Monasterijs præscriptis fieri solet professio per ingressum; & ideo si post ingressum à Monasterio recedant, possunt iure merito velut professæ reuocari, quas Constitutiones Sacrum *Trid. Concil.* sua auctoritate firmauit, *cap. 18. in fine sess. 25. de regular.* Sic *Riciullus loc. cit. lib. 8. cap. 2. num. 6.*

De Consecratione Monialium. Cap. V.

1 *Solent sanctimoniales solemniter consecrari nonnullis benedictionibus, & cærimonijs, accepto velo, quod dicitur Consecrationis.*

ILLVSTRATIONES.

MVltiplex est velum, quoddam dici potest velum receptionis, quod Nouitijs à principio datur, & solet esse album. Aliud dicitur velum professionis, quod nigrum est, quãuis olim aliqua varietas in hoc fuisse videatur, vt ex D. Hieronymo multis in locis constat. Est & aliud velum, quod dicitur consecrationis, de quo in conclusione intelligimus. Benedictiones, & cærimoniæ, quæ adhibentur in hac Consecratione, explicantur à *D. Thom. in 4. distinction. 38. quæst. 1. articul. 5. Paludanus ibi, quæstion. 5. articul. 3. & late ab Antonino 3. parte titul. 2. capitulo 2.*

Hoc

2 *Hoc velum Consecrationis solis Virginibus dari potest.*

ILLVSTRATIONES.

SIc dicti auctores docent, & habetur exprefse *in capitulo deuotis.* 20.*q.*1. vbi *Gelasius Papa* inquit, viduas velare Pontificum nullus attentet; quod etiam habet *Concil Triburiense cap.*25. *& Conc. Rothomagense Canone* 9.*apud Iuonem p* 7.*decreti cap.*52.

Quid autem velit *Gelasius* in præfenti, dũ admonet, ne viduas vllus Pontificum attentet velare; *Barbosa in* 4 *tom Collect. in Decretum Gratiani causa* 20.*quæst.*1.*cap. Deuotis.* dicit, quod velamen quandoque ipfæ fibi propriæ fponte imponebant etiam in priuatis domibus, vt apparet ex *Conc. Parisien. sub Greg. IV. lib.*1.*cap.* 44. *& d. Triburiens. & Toletano* 10.*cap.*5. quandoque autem fibi imponebant in Ecclefia, non tamen imponebatur ab Epifcopo, ficut Sacris Virginibus, fed ipfæ viduæ illud publice accipientes ab Altari fibi imponebant, vt conftat in primis ex *Ordine Romano*; nam in ordinatione faciẽdi Diaconiffam hæc habentur. Tunc ponat Epifcopus coram omnibus in collo eius dicens, ftola iucũditatis induat te Dominus, ipfa autem imponat velamen capite fuo palam omnibus de Altari acceptum cum Antiphona, &c. & poftea in Confecratione viduæ habetur etiã, Tunc imponat ipfa velamen capiti fuo; cum tamen in Confecratione Virginis hæc habentur. Benedictione expleta, & ad interrogationem Epifcopi de obferuatione Sacri velaminis illa coram profefsa Epifcopus mittat velamen fuper caput ipfius Virginis ita dicens. Accipe velum facrum puella, &c.

Quibus prehabitis, *sequitur Barbosa,* iam patet in velandis viduis, & Virginibus differentiam magnam conftitui; illę enim velamen fibi ipfi imponebant, ab Epifcopis non confecratum; immo id exprefse Epifcopis interdictum erat, vti vidimus; hæ vero non ita, fed ab Epifcopo accipiebant, non alia, vt credi poteft, ratione, nifi vt maior Virginibus Sacris honor deferretur, quo excellentior Virginalis præ viduali ftatu oftenderetur.

Hoc

Hoc adeo verum eſt, quod ſc.huius veli Conſecrationis prærogatiua Virginibus ſolum competat, vt etiam ſi per violētiam, & ſine propria culpa corrupta ſit virgo, hoc Conſecrationis velo ornari non poſſit, vt probat *Suarez Tom.4.de Relig.Tract.9.lib.1. cap.11.num.7.*

Ratio eſt, quod vt *cit.loc.dicit D.Thom.*quamuis illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, ſi nullo modo conſentiant, virginitatis gloriam non perdant; quia tamen valde difficile eſt, quod in tali delectatione aliquis complacentiæ motus non inſurgat, ideo Eccleſia, quæ de interioribus non iudicat, huiuſmodi ſic corruptas inter virgines non velat. Eſt etiam illa quaſi quædam irregularitas,quæ licet ſine peccato cōtrahatur,impedit talem Conſecrationem.

Quærunt *DD.* an ſi femina ſit in publica fama, & poſſeſſione virginitatis;occulte autem ſit corrupta,poſſit Conſecrationis velum accipere. Negat *D.Thom.loc.cit.* abſolute; quia propter vitandum ſcandalum non debent Eccleſiæ Sacramenta, vel Sacramentalia variari. Dicit tamen quærendum eſſe remedium ad vitandum ſcandalum, vt retentis ſc.quæ ſunt de ſubſtantia Conſecrationis, mutetur nomen virginitatis in nomen caſtitatis.

Sed hoc remedium à quibuſdam impugnatur, tamquam mēdacium continens, ſed eſſe licitum aſſerit *Suarez num.9.* qui potius dubitat,an ſit ſufficiens remedium,vel neceſſarium;ſufficiēs, nam eo ipſo,quod virginitatis nomen in nomen caſtitatis mutetur,generabit ſuſpitionem,& ſcandalum apud audientes;præſertim mediocriter intelligētes, qui licet regulariter pauciores ſint, infamiæ tamen apud ipſos eſt maioris momenti. Neceſſarium autem non videtur eſſe, quia licet nominetur virginitas, non videtur eſſe mendacium,quia verba poſſunt legitimum ſenſum habere.

Vnuſquiſque enim cenſetur loqui in eo foro,in quo operatur; ſic enim reus ſine mendacio negat delictum occultum,quod vere commiſit; & iudex per ſententiam vere declarat innocentem eū, quem occulte ſcit nocentem, ſi in iudicio non probatur. Immo Scriptura diuina *Luc.2.* & alibi ita loquitur,vt Patrem vocet eū,

qui communiter talis reputatur, licet non ſit; ergo ſimiliter ſine mendacio poteſt appellari virgo, quæ talis eſt in communi exiſtimatione, non obſtante contraria ſcientia occulta, quia omnes intelligunt humanum ſermonem eſſe ex humana ſcientia, & exiſtimatione, & non ſemper ex re ipſa.

3 *Poteſt huiuſmodi femina ad Conſecrationis velum admitti.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Suarez num.* 10. quod ita declarat; nam duplex obligatio ex hoc defectu occulto oriri poteſt, vel in Epiſcopo ad non conſecrandam feminam, vel in ipſa femina, vt non ſe ingerat Conſecrationi. Quoad priorem, ſi Epiſcopus ſolum habeat notitiam caſus per confeſſionem Sacramētalem, verum eſt, nec debere, nec poſſe negare Conſecrationem feminę petenti, quia violaret ſigillum. Si autem ſciat extra Sacramentum perſecretam reuelationem ipſius feminæ, non cenſet ipſe *Suarez*, teneri ad expellendam illam, ſeu negandum.

Nec eſt neceſſaria in hoc caſu diſpenſatio Epiſcopi, cum ius ipſum commune non obliget Epiſcopum ad iudicandum de re occulta, vel ad operandum ex ſcientia adeo priuata, & occulta, præſertim cum periculo ſcandali. Item, quia in illo actu nullum eſt mendacium, vt declaratum eſt; & alioquin non fit aliqua irreuerentia tali Conſecrationi, ſeu benedictioni, quia talis perſona non obſtante præcedēti lapſu poteſt eſſe capax illius in ordinem ad perpetuam cōtinentiam futuram, quam ſeruare difficilius eſt, quam virginitatem, teſte *Tertulliano ad vxorem*; nam facilius eſt non optare, quod numquam habuimus, quam quod aliquando fuimus potiti.

Azorius tamen *3. p. Inſt. Moral. lib. 3. cap. 12. quæſt. 3. & ſeq.* vult in hoc caſu teneri puellam occulte corruptā tum ante quam poſt Conſecrationem petere diſpenſationem ab Epiſcopo, vt poſſit licite exercere officia, quæ ſecundum morem, & inſtituta religionis, dedicata ſunt virginibus Conſecratis. Sed non obligat eas,

quando

quando periculum est scandali, aut infamiæ, quod semper ad est, vt per se patet.

Non tenetur tamen Episcopus admittere secluso scandalo, seu infamia. Quando autem ipse alia via haberet similem notitiam moraliter certam, iam non esset res adeo occulta, & ideo merito posset non admittere talem personam ad velum virginum; semper tamen debet id facere, consulendo famæ illius quantum potuerit, & non auertendo ipsam ab statu perfectionis.

At vero loquendo ex parte ipsius feminæ, licet multi censeant teneri ad non petendum talem statum, attamen dicendum cum *Suarez*, non teneri ad id, Ratio potissima est, quia iura non imponunt hoc impedimentum, tamquam pœnam, vel irregularitatem ipso iure incurrendam; sed præcipiunt Prælatis, ne consecrent feminam corruptam; igitur quando res est occulta, non tenetur ipsa femina se abstinere, sed potest in exteriori foro ita se gerere, sicut in communi opinione habetur.

4 *Virginitas irrecuperabiliter amittitur, si violatio integritatis, vel puritatis carnis fuit voluntaria.*

ILLVSTRATIONES.

COmmunis. Iuxta illud *D. Hieronymi in C. si Paulus. 32. q. 5. Audacter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam*; Cui concinit *Ouidius Epist. ad Paridem*,

Nulla reparabilis arte,
Læsa pudicitia deperit illa semel.

Hinc ille, Possum, inquit, affirmare me nullos habere annos, quia quos habui abierunt; quænam quæ reuocari non possunt sunt, Tempus, iuuetus, prolatum verbum, & Virginitas. Sic *Homobonus 3. par. Examinis Tract. 15. quæst. 18. 2. 9. Resolut.* Vbi etiam ostendit, quomodo puellæ violatæ in Sacratas Virgines adscribi possint.

Quod huiusmodi amissio sit irrecuperabilis, probat etiam *D. Basilius lib. de vera Virginitate*, inquiens, ceterum si hoc amittas patrimonium integerrimæ castitatis, quamuis illa omnia facias, quæ dixi, cælumque, ac terras maria, & abyssos, immensumque aerem peruagata fueris, nullaomnino ratione hoc recuperare iam poteris. Quo enim pacto quod corruptum semel, incorruptum fiet? Qua ratione quæ cognouit virum, quasi non agnouerit existimabitur.

Rationem huius conclusionis affert *Lessius de iust. & iure lib. 4. cap. 2. dubit. 16. num. 116.* Quia sicut innocentia de notat animam numquam peccato mortifero fuisse contaminatam; ita virginitas includit, vel connotat carnem numquam voluntarie esse violatam, & libidine pollutam. Vnde sicut vno peccato mortifero irrecuperabiliter perit innocentia, ita virginitas vno actu libidinis.

Quibus autem modis amittatur virginitas, vt non possit absolute recuperari, respondet idem *Lessius*, per voluntariā claustri virginalis violationem, siue in matrimonio, siue extra, idque siue per copulam, siue per aliam turpitudinem.

Confessarij curent omni studio turpia perpetrandi occasiones amouere. Hinc emanarunt tot Constitutiones S. Caroli, & aliorum Præsulum, quibus non solum Monialibus, sed etiam puellis in educatione positis prohibetur, ne in vno lecto simul decumbant; vt sic libero suo lectulo, quo nil iucundius esse potest, fruentes, sponso suo dicere queant, lectulus noster floridus, id est, suaueolentibus floribus conspersus, tam odoratam de se emittit exempli boni famam, vt dicere possint ipsæ cum Apostolo, Christi bonus odor sumus. Et cum Sapientia, Fructificaui suauitatem odoris. Confessarius igitur sit totus in hoc particulari, nullo pacto permittendo, vt Moniales se se osculentur, amplectantur, aut manus sibi inuicem tangant. Quæ omnia licet absque peccato fieri queant, nihilominus experientia docuit, omnia obscæna vt plurimum hinc originem trahere.

Lessius loco citat. vult sup radicto modo corruptam non posse

vm-

vnquam velari velo Consecrationis. Ratio, quia illa Consecratio est propria virginum, igitur nullo modo potest non virginibus applicari; sicut Consecratio aquæ non potest applicari vino. Concedit tamen etiam ipse, quando periculum grauissimi incommodi ita postulat, vt Episcopus possit eas Consecrare, preces, & cetera, quæ in Consecratione Virginum adhibentur, etiam illis accommodando, quæ publice Virgines habentur; nam & hæ quoque suo modo possunt esse sponsæ Christi, & sunt omnium gratiarum, quæ ibi postulantur, capaces.

Secundus modus amittendi virginitatem est per voluntariam pollutionem, etiam si fiat absque copula. Sed aduertendum est, si puella sic polluta carnis integritatem retinet, eam posse velari. Ratio est, vt ait *Lessius num.* 110. Quia & si coram Deo non sit virgo, nec habitura sit aureolam, tamen apud homines censetur virgo; omnes enim vocant Virginem, quæ claustrum virginale retinet illæsum, etiam si sæpius intra spermatis effusione sit contaminata; quamuis enim non sit virgo virtute, est tamen virgo statu, vt inquit *Caietanus, In Sum. V. Virginum consecratio*. Et Ecclesia idem per nomen virgo, & virginitas intelligit, quod vulgo intelligi solet; cuius signum est, quod in Pontificali Romano, vbi de hac Consecratione agitur, non dicatur roganda de aliqua contaminatione, sed de vita, conscientia, & carnis integritate, vt notat *Caietanus*. Itaque non requirit Ecclesia nisi carnis integritatem.

Piasecius in Praxi Episcop. parte 1. *capit.* 2. *numer.* 3. sic de ista Consecratione Virginum scribit, Virginem quoque Deo dicatas benedicere obseruatum fuit in Ecclesia, & hæc benedictio ab Episcopo dabatur, de qua *Hostiens. in summ. de tempor. ordin. numero* 4. Consuetudo tamen hæc non amplius est in vsu, & eam leuandam esse, si alicubi adhuc vigeret respondit. *Congregatio Regularium Patriarcha Venet.* 5. *Decemb.* 1595. Idem affirmat *Gauantus in suo Manuali Episcoporum*. Qui insuper addit:

ex.

ex *Congreg.* Consecrationem huiusmodi Monialibus ordinum Mendicantium nullo pacto concedi.

Al Patriarcha di Venetia.

Molto Illustre & Reuerendissimo Monsignor come fratello. La Sacra Congregatione in gratia di Monsignor Signor mio Illustrissimo Cardinal Dolfino, si è contentata, che Suor Benetta Pisani Monaca di cotesto Monasterio della Celestia possa essere ammessa alla Sagra, con tutto che nel tempo, che quella si farà, sarà nell'età di 21. anno; intendendo però che per questa gratia non si faccia pregiudicio alcuno à quelle Monache, che sono anziane. Potrà adunque V. S. esseguire la presente nella forma prescritta, e Dio la prosperi.

Roma 31. Maggio 1614.

D. V. S.

Come Fratello Affettionatiss.

Il Cardinal Gallo.

An vero Moniales consecrari possint, si non attingant 25. annum, Respondendum, quod licet secundum Sacros Canones non possint Consecrari Virgines Moniales, nisi attigerint 25. annum, *vt in capitul. placuit, & capitul. Virgines, 20. quaestione* 1. nihilominus de vniuersali consuetudine possunt Consecrari ante vigesimumquintum annum, prout ex Syluestro, & Antonino colligit *Marius Antoninus variar. Resolut. lib.* 1. *resolut. vltim. cas.* 14. quam consuetudinem etiam in toto statu Mediolani notoriam esse affirmat; vnde satis est eam allegare. Nec verba Pontificalis Romani nouiter impressi terrere debent,

bent, dum in eo cauetur, Moniales Consecrandas interrogari debere, an attingant 25. annum. Et in *Bulla Clem. Papa VIII.* super eodem dicitur, Episcopos teneri seruare in eo disposita, alias muneri suo non satisfacere. Quia, vt ait *idem Marius*, ex dictis verbis non censetur derogatum dictæ consuetudini. *Barbosa* tamen scribit, *Sacram Congregationem* sensisse Moniales Virgines ante vigesimum quintum annum completum, non esse consecrandas. Quod quomodo verũ esse possit non video, cum è diametro repugnet verbis Pontificalis Romani; qui tamẽ liber probat secundum *Mohed. de fide instr. decis.* 5. Sed postea legi ipsius Pontificalis Romani nouissimè impressi verba, & vidi, ibi caueri, Moniales consecrandas interrogandas esse, an expleuerint, non vero an attigerint 25. annum.

Non debet ideo Episcopus ingredi Monasterium. *Congr.* 13. *Septemb.* 1583. Huiusmodi enim Consecratio fieri debet ad fenestellam Communionis Moniales è clausura non egrediantur. *Ead.* 30. *Septemb.* 1616.

5 *Velum huiusmodi Consecrationis à solis Episcopis dari potest.*

ILLVSTRATIONES.

Svpra cit. cap. Deuotis 20. q. 1. Quod communiter ad hoc allegatur, vt patet ex *Paludano, Syluestro, & alijs.* Potest tamen hæc Consecratio committi presbytero per Summum Pontificẽ, non tamen censetur commissa per solam iurisdictionem Episcopalem, quia est actus ordinis, & non tantum, iurisdictionis, vnde neque Episcopus electus, & confirmatus, & nondum Consecratus potest illum exercere. *Suarez. loc. cit. num.* 12.

Sunt tamen qui asserant huiusmodi Consecrationem competere ex officio Episcopo, non autem ex vi ordinis Episcopalis; ac ideo non solum Abbates, sed etiam Priores, Archipresbyteros, & Præpositos posse Moniales, in quas iurisdictionem Episcopalem habent, benedicere, & Consecrare; quia munus, hoc ad iurisdictionis, non ordinis potestatem spectat. Lege *Tambur. de iure Abbatum disput.* 22. *q.* 6. *num.* 2.

Non

6 ***Non potest hoc velum dari, nisi definitis temporibus, & à iure statutis.***

ILLVSTRATIONES.

IN *Conc. Lateran. sub Alex. III.* prout habetur *in cap. 1. de tempor. ordin.* concessum est, vt omnibus Dominicis diebus liceat Virgines Consecrare, & cõsuetudo hoc extendit ad alias solemnes festiuitates, vt aduertit *Turrecremata in d. cap. deuotis quast. 4.* & ita in hoc consulenda est, & seruanda consuetudo.

An vero conferat gratiam, vel remissionem venialium hæc Consecratio, legatur *Suarez num. 14.* Vbi etiam aduertit, huiusmodi velum dari posse, vel in ipsa professione, vel post illam; nam sine illa clarum est dari non posse, cum nõ intercedat, nec supponatur spiritualis disponsatio cum Christo.

De Clausura Monialium. *Cap. VI.*

1 ***Clausura Monialium iure humano positiuo, non autem iure naturali, vel diuino indicta est.***

ILLVSTRATIONES.

SIc *Bonacina de Clausura quast. 1. punct. 3. ex multis Doctoribus. Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 11.* ait, quod primus, qui hoc præceptum clausuræ posuit, videtur fuisse *Bonifacius 8. in cap. vnic. de statu Regular. in 6.* Nam licet in antiquis Canonibus multa sint huius clausuræ præcepta, nullibi tamen erat absolute iniuncta, sed dependenter fere à legitima facultate Abbatissæ, vnde paulo maior feminis, quam viris imponebatur. Addit etiã ipse *Suarez num. 12. Bonifacij Decretum* circa huiusmodi clausuram, vel receptum non fuisse, vel dissuetudine cessare, vt indicat *Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regular.* dicens, *Bonifacij VIII. Constitutionem renouans sancta Synodus:* & infra, *Præcipiens vbi Clausura violata fuerit, diligenter restitui.*

Et

Et postea *Pius V.* eadem de re *Bullam quamdam, siue Motum proprium edidit, Anno* 1566. *Kal. Ian.* & incipit, *Circa pastoralis officij.* Hanc *Pij V. Constit.* Etiam confirmauit, & innouauit postmodum *Greg.XIII.* in alia sua *Bulla Anno* 1572. 3. *Kal. Ian. quæ incipit, Deo sacris.* Votum clausuræ venit sub voto obedientiæ. *Congr.Ep.*19.*Apr.*1619.

2 *Hoc præceptum clausuræ imponitur omnibus prorsus Monialibus cuiuscumque regulæ, ordinis, ac nominis fuerint.*

ILLVSTRATIONES.

QVod verum est, licet ipsæ clausuram non vouerint, vel habeant priuilegia in fundatione obtenta ad eam non seruãdam; aut habeant immemorialem consuetudinem in oppositum, vt habetur in eodem Concilio Trid. & in eisdem *Constitutionibus Pij V. & Greg.XIII.*

Et iure quidem optimo id statutum est; quippe hoc non inducit nouam austeritatem prorsus à priori regula alienam, sed indirecte ad eam pertinentem; quia experientia compertum est, nõ leui cum iactura castitatis promissæ Moniales vagari; & ideo iudicatum est, clausuram earum valde necessariam esse ad votorũ obseruantiam. Sic *Sanchez lib.6.cap.2.num.*42. vbi etiam ait, non posse hoc in dubium vocari, quia est de fide potuisse id fieri.

Mens Tridentini est, vt Episcopi auctoritate ordinaria Moniales sibi subditas ad clausuram cogant; auctoritate autem Apostolica Moniales, quæ immediate Sedi Apostolicæ subiectæ sunt, non tamen exemptas abeis, & subditas alijs Prælatis exemptis aliorum ordinum. *Sanchez loc.cit.cap.*15.*num.*21. qui etiam *num.seq. ex Trid.* probat, quod si opus sit ad cogendas Moniales ad hanc clausuram auxilio brachij sæcularis, id inuocandum esse, atque à brachio sæculari esse præstandum.

Barbosa tamen *de offic.& potest. Episc. Allegat.* 102.*num.*8. probat falli *Sanchez*, dum asserit, non posse Episcopum ad clausuram cogere Monialem exemptas ab eis, & subditas alijs Prælatis exẽ-

H ptis

ptis aliorum ordinum. Citat *Decis. ex Armendar. Zerola*, etiam *V. Moniales ad 4. quaest. & ad 8. vers. 4.* vult, facultatem indicendi clausuram competere Episcopo, respectu etiam Monialium exemptarum.

Idem *Barbosa loc. cit. num. 5. 6. 7.* scribit, huiusmodi Moniales exemptas posse toties visitari ab Episcopo quoad obseruantiam clausuræ, quoties ei videbitur expedire. Et Moniales in Ciuitate situatas, sed alieno Episcopo subiectas, visitari ab Episcopo Dioecesis, sicut visitantur aliæ Moniales subiectæ Regularibus; ac deniq; clausuram, si non seruetur in Monasterijs Monialium, quæ Regularibus subduntur, debere Episcopum videre; nec ab ipsis Regularibus eum impediri posse, quominus ea visitet, quoties id expedire iudicauerit. Sic *Galet.* citatus ab ipso *Barbosa* refert in his omnibus decisum.

3 *Ad Episcopum pertinet facultatem concedere Monialibus volentibus exire à Monasterio.*

ILLVSTRATIONES.

Sic decernitur in *Trid. sess. 25. cap. 5* & in *Motu proprio Pij V.* qui incipit, *Decori & honestati.* An vero id sequatur etiam in Monialibus exemptis, & Regularibus suppositis, alij negant, alij aiunt, cum quibus ego sentio. *Barbosa* probat hanc assertionem ex verbis Constitutionibus Pij V. sic disponentis. Quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, & si prędicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit.

Supradictam facultatem, quam Episcopum habere diximus, habet etiam Vicarius Generalis ipsius Episcopi. Ratio, quia facultas, quæ Episcopo conceditur in *Trid.* censetur etiam cōcessa ipsius Vicario Generali, nisi Vicarius excipiatur, aut nisi res aliena sit à Vicario. *Bonac. loc. cit. num. 3.* Id colligitur etiam ex

præ-

præcitato *Motu Pij V.* vbi dicitur, vti vidimus, causam ex Monasterio exeundi approbandam esse ab Episcopo, seu alio loci Ordinario. Vicarius autem Generalis vocatur loci ordinarius, vt pluribus ostendit *Sanchez de matrim lib.3. disput.29 num.3.*

Idem potest Vicarius in Monasterijs Sedi Apostolicæ subiectis, vt scribit *Bonac. ibidem*, licet *Sanchez* ab ipso citatus contrarium sustineat, eo quod in huiusmodi Monasterijs conceditur facultas Episcopo, tamquam Delegato. Sed respondit *Bonacina*, Concilium dare facultatem Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato ad inducendam clausuram in Monasterijs Sedi Apostolicæ subiectis. Dum vero præscribit, vt Moniales clausura exire nequeant, loquitur simpliciter de Episcopis; iurisdictio autem Episcoporum competit etiam Vicario Generali, nisi excipiatur, seu nisi res aliena sit ab eius officio.

4 *Moniales possunt egredi è Monasterijs, in casu magni incendij, aut infirmitatis lepræ, aut epidemiæ.*

ILLVSTRATIONES.

PIus *V. in sua const. Decori*: qui causam exeundi legitimam ad hos tres casus restringit. Nomine epidemiæ intelligitur morbus cōtagiosus, qui alios inficere solet, vt est pestis, morbus gallicus, morbus D. Lazari, ignis S. Antonij, & similes. Sed aduertendum cum *Bonacina loc. cit. punct.9. quæst. vnica num.2.* vt istæ causæ ad exeundum iustæ censeantur, opus esse, vt Monialibus in Monasterio existentibus alia ratione consuli nequeat, quā exeundo. Quamobrem si Moniales curari possint in Monasterio, absque aliarum infectione; aut si incēdium in Monasterio grauetur, & Moniales, ad aliam Monasterij partem absq; vitæ periculo se recipere, & incendium vitare valeant, non possunt ex Monasterio exire, quia cessat iusta exeundi causa.

An vero prædictæ tres exceptiones extendātur ad quemlibet morbum non contagiosum, de quo tamen Medici in arte periti iudicant aliquam Monialem morituram, si non exeat Monaste-

H 2 rium,

rium in aliquem locum illo tali morbo infectæ salubriorem, & si exeat minime? Nonnullis videtur esse extendendas, alijs vero non, cum quibus sentiendum est; vrgent enim maximoperè verba Summi Pontificis tam perspicua, & clara. Quis enim audebit, vt ait *Gutierrez Canon.quæst.lib.1.cap.14.num.7.* contra ista exponere se periculo excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ? nemo profecto sanæ mentis.

Concludamus igitur ex causis communibus omnibus Monialibus licitam esse egressiorem, ex particularibus minime. Nec patrocinatur contrarium sentientibus, quod *Greg.XIII.* similem licentiam exeundi à suo Monasterio concesserit, vt ait *Nauar.* citatus à *Gutierez num.9.* quibusdam Monialibus; Nam potius hoc, inquit *Gutierrez*, suæ opinioni contradicit. Id siquidem fuit concessum ex gratia, & priuilegio aduersus præfatam sui Predecessoris Constitutionem, vt cõstat ex vltimis verbis prædicti Breuis, quod ibidem refert *Nauar.* ibi, *Non obstantibus litteris Pÿ V. Prædecessoris, ac alÿs prædictis, &c.* Et priuilegia non egrediuntur personas priuilegiatas.

Suarez tamen *Tom.4.de Relig.lib.1.cap.9.num.9.& seq.* non discedit ab opinione *Nauarri*, & citat pro hac quamdam responsionem Cardinalium, quæ sic habet, Curandæ valetudinis causa, ad balnea Monialem exire posse Sedes Apostolica concessit, dum tamen eat cum honesto comitatu personarum, quem ordinarius dandum censuerit; atque tum eundo, quam redeundo nullum ad locum extra viam rectam diuertat, neq; diutius maneat apud ipsa balnea, quam ad curandam infirmitatem necesse fuerit. Ex tenore verborum colligitur, hanc generalis iuris declarationem fuisse.

Diana tamen *Tract.1. Miscellan.* affert *ex Rodriquez aliam Responsionem Cardinalium*, quæ consulta, an morbum gallicum includeretur sub nomine epidemiæ, & strumæ, & cancros sub nomine lepræ, dum alij Medici affirmarent Ludouicus dela Valle Medicus Regis negaret, ita respondit; *Sacra Congregatio Cardinalium Concilÿ Tridentini interpretum*; supradicta opinionum varietate, singularumq; rationibus diligenter perpensis, declinauit

in

in sentētiam Doctoris Ludouici della Valle Medici Cameræ Hispaniarum Regis. Cuius in responso à se edito, zelum, & prudentiam in assequenda Sanctæ memoriæ *Pÿ V.* mente plurimum in Domino commēdauit, eiusdem *Pÿ V. Constitutionem* de clausura Monialium loquentem nomine epidemię, eam tantum epidemiā intelligere, quæ est cura, & realis pestis; ita vt ob alias infirmitates huic aliquo pacto consimiles, sed tamen benigniores, etiam si epidemiæ nuncupentur, nullo pacto Monialibus professis ex Monasterio exire liceat, atque hoc Decretum ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabiliter obseruari mandauit.

Possunt exire etiam Moniales ob alias causas similes, vel vrgentiores. 1. ob belli imminentis timorem, gesti ab hæreticis, aut infidelibus. 2. dum totus ipsarum Conuentus in alium locum de consensu Episcopi trāsfertur. 3. vt Monialis sit Abbatissa alterius Monasterij eiusdem ordinis. Denique ad fundandum Monasterium, vel ad aliud ministerium ibi peragendum, licet nō sit Prælatio, *Suarez loc. cit. num. 6.* qui tamen testatur, se à Congregatione Cardinalium hoc responsum datum inuenisse, Monialis non potest transire de vno ad aliud Monasterium, etiam de consensu Episcopi, sine licentia Sedis Apostolicæ, etiam si translatio fiat ad aliud eiusdem Ordinis. Et infra dicitur, eden Apostolicam aliquando hoc concedere ex causa de consensu Superiorum, etiā ad Monasterium alterius obedientiæ.

Testatur item idem *Suarez*, se nuper in Lusitaniæ Regno vidisse, ad transferendam Monialem ab vno Monasterio ad aliud eiusdem ordinis, & sub eodem Generali, & interueniente satis graui causa salutis, expectatam fuisse licentiam Sedis Apostolicæ. Ita igitur seruandum iudicat, quotiescumque causa mutationis talis non fuerit, quæ vel in iure sit specialiter expressa; vt dum Conuentus, qui extra oppidum existit, expositus est malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus; tunc enim intra vrbem, vel iuxta oppidum frequens redduci potest, si Episcopus, alijque Superiores expedire iudicauerint. Sic enim clare decernitur in *Tridentino sess. 25 cap. 5.*

Gauantus in suo Manuali Episcoporū ex *Cong. epis.* asserit, nō posse

ſe transferri Moniales pro instructione noui Monaſterij, inconſulta Sede Apoſtolica. Et ita decretum eſſe referre *DD.* apud *Barboſam*. Quod etiam nos ſupra diximus.

Abbatiſſa etiam, vel Prioreſſa, quæ per feudum tenetur præſtare iuramentum fidelitatis alicui domino ſæculari, ſi illud per Procuratorem preſtare nequit, poteſt cum honeſta ſocietate exire, modo ſtatim, præſtito iuramento, reuertatur. Hoc enim conceditur expreſſe à *Bonifacio VIII. in cap. periculoſo* §. *verum de ſtatu regular. in 6.* neque hoc alicubi reuocatum eſſe reperitur, modo iuramentum præſtandum ſit Domino ſeculari. Ex quo fit, vt ait *Bonac. num. 9.* vt Superior in tali euentu licentiam exeundi concedere teneatur. Quod ſi hanc licentiam Abbatiſſæ iniuſte denegetur, poterit nihilominus Abbatiſſa vti priuilegio ſibi in *præcitato cap.* conceſſo, modo ſciat licentiam iniuſte ſibi denegari; nam ſi tantummodo dubitet, an ſibi iuſte, vel iniuſte denegetur, acquieſcere debet iudicio Superioris.

Excommunicatione, & alijs pœnis afficiuntur Moniales clauſuram violantes, dantes licentiam, ac receptatores. Idem dicendum eſt de comitantibus, vel receptantibus Monialem iniuſte egreſſas, modo ſint cauſa egreſſus, vel perſeuerantiæ egreſſus; ſecus ſi cauſa vrbanitatis, vel conſanguinitatis comitentur, vel recipiant. Sic enim decernitur in *Motu Pij V.* qui incipit, *Decori, & honeſtati*.

Exigitur tamen ad incurrendas has pœnas egreſſum non eſſe ita leuem, vt ſolam venialem culpam conſtituat. *Sanchez lib. 6. cap. 15. num. 69.* Quod ex ſe manifeſtum eſt, cum nec excommunicatio pro ſola veniali culpa ferri poſſit, & aliæ tam graues pœnæ iniuſtæ eſſent, vtpote quæ grauitati delicti valde diſpares, ſi pro ſola veniali culpa incurrerentur.

5 *Monialis clauſuram modico egreſſu tranſgrediens excuſatur à culpa lethali, & à cenſuris latis.*

ILLVSTRATIONES.

NOtandum hic eſt, ſi exorcizanda eſt à confeſſario Monialis, exorcizari debere in Eccleſia exteriori, ſed cum à licentia habita à Sede Apoſtolica; clauſis ianuis, præſentibus fœminis hone-

honestis consanguineis, vel alijs prouectæ ætatis, neq; alio diuerti posse. *Cong. episc. 1. Iulij 1606.*

Graff. 1. p. Decis. lib. 4. c. 22. num. 13. ait, non incurrere excommunicationem transgredientes clausuram per duos pedes, vel quasi, & postea retrogredientes; quia modicum semper excusat. Idem diceret de modico Monialis egressu ex clausura. Sed id non admittit *Sanchez loc. cit. cap. 16. num. 70.* quia cum hic sit verus extra clausuram egressus, sufficiens est ad culpam lethalem, & censuras incurrendas. Nec modicum reputatur, quando perfecta transgressionis ratio in illo reperitur. Vnde optime dixit *Zecchius de cas. reseru. casu 10 nu. 1.* Consistentem in solio, sito intra claustra, dicamus & nos, consistentem Monialem in solo Ostio sito extra claustra, subijci his censuris. *Gauantus in suo Manuali Episcoporum* sententiæ *Graf.* subscribit.

Existimat *Suarez* modicum in hoc ingressu, & egressu, quando hæc non sunt perfecta, & consummata, sed semiplena; quia nimirum pars corporis est intra, pars autem extra; nec aliquid refert, an maior corporis pars sit intra, aut extra; dum enim totum corpus non est intra, aut extra, non sunt perfecta ingressus, & egressus, vt culpæ lethali, & censuris subdantur. Quamobrem non censeret ipse *Suarez*, comprehendi eum, qui est in ostio, quia ostium est partim intra, partim extra clausuram.

Quinam autem sint limites, intra quos clausura Monialium contineatur, quosque pretergrediendo clausuram violent, *Sanchez lib. 6. cap. 13. num. 6.* ex *Motu proprio Gregorij XIII.* colligit, clausuræ locum esse eum, qui ianua clausa continetur, ad quem sæcularibus non patet accessus. Atque ita si locus eiusmodi sit, in quem sæculares admittuntur, est extra Monialium clausuram, illucque exeundo eam violant Moniales.

Qui hinc deducit, Moniales ascendentes supra tecti tegulas, si intra eam partem, quæ Monasterium respicit, atque ad ipsum pertinet, contineantur, minime violare clausuram; secus si eam pretergressæ ad alienam tecte partem transeant; quia cum prior pars ad Monasterium pertineat, est intra clausuram, secus de posteriori, quæ alterius domus pars est.

Excom-

6 ***Excommunicatio lata est in Moniales clausuram violantes, aut eis fauentes.***

ILLVSTRATIONES.

PIus V. *in Motu proprio, qui incipit Decori.* Et sibi reseruat absolutionem. Addit aliàs pœnas contra licentiam egrediendi sine legitima causa concedentes, comitantes, ac acceptantes. *Rodriquez quæst. Regul. Tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 5. docet insuper, Moniales sic egressas incurrere excommunicationem latam *in Trident. sess.* 28. *cap.* 5. *de Regular.* sed reuera nec in eo Decreto, nec in alio eiusdem *Trid.* reperitur talis excommunicatio, sed in solos ingredientes in Monialium claustra absque legitima licentia.

7 ***Excommunicatione afficiuntur ingrediẽtes intra septa Monasterij, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint.***

ILLVSTRATIONES.

COnc. *Trid. sess.* 25. *de Regular. c.* 5. sed oritur dubium, Num in tali prohibitione comprehendantur pueri ante vsum rationis; ad quod negatiue respondet *Suarez Tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. nam pueris in illa ætate nihil potest esse illicitum; ex parte vero introducentium, vel admittẽtium ipsos potest magis dubitari. Sed de hoc genere cooperationis ad hunc ingressum etiam pro his personis, quibus est illicitus, nihil Concilium Trid. loquutum est; neque in *Motibus Pij V. & Greg. XIII.* aliquid circa has personas specialiter expressum inuenitur; præterquam in *Gregorij* ibi, *Neque Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.* Sed quid relatiuum *illos* referat inferius dicemus.

Barbosa de offic. & potestat. Episcop. Allegat. 102. *numero* 3. *& Bonacina loco citat. quæstion.* 4. *punct.* 1. *numero* 45. Excusat intro ducentes. Ratio, tum quia non videntur reæ maioris culpæ, quam

quam ipsi ingredientes. Tum quia finem legis nō violant. Limitandam tamen censet hanc sententiam, nisi speciale præceptum in oppositum extet. Quando vero dubitatur, an infantes rationis vsum adepti sunt, præsumendi sint rationis vsum adepti, si ad septennium peruenerint; communiter enim rationis vsus in septennio contingit.

Comitolus tamen *lib. 6. Resp. Mor. quæst. 22.* vult, Monialem peccare mortaliter, & incurrere censurā, quæ intra rotam, & clausuram admittit infantulum lac sugentem duorum, vel trium annorum, & de hoc testatur vidisse litteras vnius Cardinalis missas cuidam Episcopo, consulto ***Papa Clem. VIII.*** in quibus idem asserebatur. At hoc in Hispania non esse receptum affirmat ***Portel. loc. cit. V. Clausura Monialium nu.*** 25. Dicit tamen hoc valde Monialibus prohibendum.

Subscribit huic sententię Comitoli ***Scortia in select. Sum. Pont. Theor.*** 356. confirmans supradictam sententiam ex ***Concil. Trid. loc. cit.*** ibi, ***cuiuscunque ætatis, & sexus***; addens id docere etiam rationem ipsam, tum quia occasione illius ætatulæ, vtriusque sexus religiosi multis obscænitatibus, & impudicitijs peccare possent, & impurius, quam cum alijs grandioribus, cum nondum ætas illa vim repellere sciat, aut valeat; tum quia alias incertum remanebit, quo præcise tempore lex incipiat obligare; si enim concedis introductione infantis trimuli, aut quadrimi Moniales non peccare, ita alius asseret neque intromissione pueri 10. aut 11. annorum incurri peccatum, & censuras. Tum quia si huiusmodi quadrimus intromissus ibidem perseueret, vsque ad 10. aut 12. annum v. g. si supponimus introducentes Moniales initio non peccasse, neque contraxisse censuras, neque sequentibus annis cōtrahent, cum eum ibi esse, aut retineri non sit ingredi, nec intromittere.

Monialis autem introducens amentem iam puberem grauiter peccat sine vlla dubitatione, & licet par ratio videatur, & in introducendo puerum, & amentem, tamen dispar est; Ratio vero huius disparitatis hinc sumitur, quia introductione amentis puberis fit contra finem legis, & intentionem Ecclesiæ prohibentis,

I cum

cum sequi possit perturbatio Monialiũ, verba iocosa, & turpia, aliaque signa impudica, quæ honestati, & decentiæ religionis maxime aduersantur.

Monialis extra suum Monasteriũ existens potest ingredi Monasterium sui ordinis, & habitus. Hæc enim non censetur extranea, & consequenter liberum videtur Abbatissæ illam absq; alia Superioris licentia admittere. *Bonacina loc.cit.* qui aliter sensit de Moniali alterius ordinis,& habitus; licet *Llamas loc.cit.*§.11. dicat, quod v.g. Abbatissa, quæ finito officio redit ad suum Monasterium,vbi quascumque beneuolas repererit sanctimoniales receptatrices,debet intra sui,vel alterius ordinis Monasterium hospitari. Subscribit huic sententiæ *Sanchez loc.cit.* dicens, quod cum hoc sit valde decens honestati Monialis egressæ,credendum est,mentem Pontificum ingressum interdicentium hanc fuisse.

Vtrum vero Reges, Reginæ, Imperatores, Imperatrices, & filij, & filiæ eorum in prohibitione ingressus in Monasteria Monialium comprehendantur,alij aiunt,alij negant. *Sanchez loc.cit.* negat. Ratio est, quia *Gregorius XIII. In Motu suo proprio, qui incipit, Vbi gratiæ,* postquam dixit, personas cuiuscumque conditionis ea prohibitione comprehendi,addit *id verum esse,licet illæ personæ Comitissæ sint.* Quo loquendi modo satis clare significatur, ea prohibitione non teneri personas status multo altioris.

Sed aduertendum est, personas cuiuscumque status,& conditionis sint,etiam si sint Comites,Marchiones,aut Duces,quæ ingredi audent Monialium Monasteria virtute quarumcumque facultatum à Romano Pontifice, vel Legato, aut alijs concessas, incurrere ipso facto excommunicationem Pontifici reseruatam. Constat ex verbis *de Motus proprij Greg.XIII.*

In *eodem Motu proprio* omnibus Abbatissis, Abbatibus, Conuentibus, ac alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocumque nomine vocentur,imponitur eadem excommunicationis pœna,& priuationis dignitatum, beneficiorũ, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, si in Monasteria sua ingredi faciant, vel permittant quemquam prætexu huiusmodi licentiarum, & facultatum.

Magna

Magna vero difficultas eſt; Num omnes eiuſdem Motus proprij *Greg.XIII.* pœnas incurrant,qui non ingrediuntur Monaſteria Monialium virtute facultatis alicuius,ſed abſque vlla prorſus licentia *Sanchez loc.cit.num.77.* ait,nulli dubium eſſe, tales incurrere excommunicationem decretam in Tridentino, verum illa non eſt reſeruata. An vero excommunicationem,& alias pœnas in hoc Motu proprio ſolos ingredientes prætextu facultatum incurrant,& ſimiliter,qui hos ſolos admittãt;an potius,omnes eos, qui abſque debita licentia ingrediuntur,duplicem eſſe circa hoc ſententiam ſcribit *Sanchez*. Prior aſſerit,omnes illicite ingredientes, & admittentes incurrere. Poſterior ait, ſolos ingredientes,& admittentes prætextu dictarum facultatum.

Prior ait, *Pium V. qui in Motu, qui incipit, Regularium perſonarum*, quo excommunicarat feminas ingredientes Monaſteria virorum, prætextu facultatum vſque tunc conceſſarum, dixiſſe, ſuam mentem fuiſſe excommunicare quoſcumque illicite, & abſque vlla facultate ingredientes; & ideo credendum eſſe,eamdem fuiſſe mentem *Greg.XIII.* eo magis,cum ita ſeruetur in Pœnitentiaria, & ita receptum ſit in praxi per totam Italiam. Sunt etiam qui aſſerant, ita reſponſum eſſe à *Gregorio XIII. Conſulto à Cardinali Borromæo Scortia* item idem probat ex *Bulla Pauli V. quæ incipit, Facultatum*, in qua cum §.1.declaraſset,Licentias cõceſſas mulieribus ingrediendi pluribus vicibus Monialium Monaſteria,intelligendas reſpectu vniuerſorum,& non Monaſteriorum ſingulorum;ita vt cui v.g.conceditur, vt bis in anno ingredi ea poſſit, liceat tantum bis vniuerſa, non autem eorum ſingula, aut aliqua intrare. §.2. inobedientes plectit ipſo facto pœnis, & cenſuris inflictis à *Conc.Trid.* & *Conſtitutionibus Apoſtolicis* contra ingredientes ſepta Monialium abſque licentia. *Idem Paulus V. alia Bulla,quæ incipit, Monialium ſtatus*, reuocat omnes facultates feminis conceſsas ingrediendi Monaſteria Monialium, cum eis conuerſandi, & refectionem ſumendi. Denique *S. D. N. Vrbanus VIII. 27. Octobr. 1624. In ſuo Motu proprio incipit, Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium, ſimiles edidit reuocationes.*

Poſterior ſententia ait,ſolos ingredientes,& admittentes prę-

textu facultatum, comprehendi in his Motibus proprijs. Et hęc posterior sententia magis placet *Sanchez*, loquendo de *Motu proprio Greg. XIII.* quo pęnis afficit quascumque personas ingredientes Monasteria Monialium, aut feminas in virorum Monasteria, & personas regulares, quæ sic ingredientes admittunt; loquitur enim de solis ingredientibus virtute facultatum illis vsque tunc concessarum, & de admittentibus sic ingredientes. At loquendo de Motu proprio Pij V. quo solas feminas pœnis afficit, quæ ingrediuntur Monasteria virorum, aut ingredientes admittunt, dicendum est, eum intelligi de feminis etiam non ingredientibus virtute illarum facultatum, & de admittentibus illas. Ratio diuersitatis est, quia *Pius V.* hanc esse suam mentem declarauit *in quodam Motu proprio, qui incipit, Romanum Pontificem,* quē edidit *anno* 1570. *die* 16. *Iulij*. Sic *Sanchez*, qui respondet omnibus obiectionibus Doctorum prioris sententiæ.

Hanc sententiam sustinet *Suarez Tom. 5. in 3. p. disput. 22. Sect. 6. num. 11. & seq. Barbosa item loc. cit. nu.* 37 qui, cum antea Constitutiones Greg. XIII. & Sixti V. retulisset, quibus reuocantur, & abolentur omnes licentiæ ingrediendi Monasteria Monialium, atq; etiam virorum, etiam Comitissis, Marchionissis, & Ducissis concessæ, probabilius ducit, virtute Extrauag. & Constit. prædictarum non comprehendi, nec excommunicari nisi intantes ex præsumptione, & qui prætextu dictarum licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus concessarum, sine sufficienti ratione, & causa, vel à Summis Pontificibus iam reuocatarum intrare præsumpserint. Cui Doctori magna est adhibenda fides, cum modo Romæ ipse degat, & scribat, & eius doctissimæ lucubrationes ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ prodeant. Concludit tamen cū Zerola intrantes sine tali facultate censuram cōminatam à *Concil. Trid.* incurrere. *Campan.* quoque *In suo Diuers. Iuris Canonici Rubr. 12. cap. 16.* Late supradictam sententiam tuetur, & recenset de Archiepiscopo Salernitano, qui sibi reseruauerat casum corruptorum Monialium. Et licet *Congr. Card. Concil. Trid. interpretum* non approbarit huiusmodi reseruationem, cum in supradicto *Motu Greg. XIII.* contineretur. Tamen postea *eadem*

Con-

Congregatio annuit rationibus, & ſententiæ ipſius Archiepiſcopi, cum vidiſſent eam auctoritate, & iudicio multorum prudentiſſimorum virorum confirmatam.

Nouiſſime *Diana in Miſcellan. Tract.* 2. *Reſolut.* 32. hanc probabiliorem eſſe iudicat. Ratio eſt, quia cum excommunicatio ſit pęnalis, non eſt amplianda, ſed potius reſtringenda, nec extendenda ad alium caſum, etiam ſi ei ſit ſimilis, aut etiam maior ratio. Et cum hæc *Bulla* ſit valde rigida, & contineat grauiſſimas pœnas, non eſt extendenda ad caſum in illa minime comprehenſum. Et reſpondet ad argumentum contrariæ ſententiæ, de illis Pontificijs Reſponſionibus non conſtare authentice.

Gauantus item tenet abſolutionem ſupradictam reſeruatam non eſſe Papæ in *Conc. Trid.* neq; in *Bulla Greg. XIII.* aſſentiendo his Doctoribus qui negant, eum reſeruaſſe ſimplicem ingreſſum ſine licentia Summo Pontifici.

Aſſerit inſuper *Sanchez loc. cit. num.* 80. nec incurrere has pœnas *Motus proprij Gregoriani* ingredientes, qui licet re vera habeant prædictas facultates, non tamen illis innitentes ingrediuntur, ſed quaſi illis prorſus carentes, nec qui ſic ingredientes admittunt; quia hæ perſonæ non vere dicuntur ingredi virtute alicuius facultates. An vero admittentes ingreſſum in Monialium Cœnobia, non virtute prædictarum facultatum euadãt etiam excommunicationem latam in *Trid. ſeſſ.* 25. *de regular. c.* 5. ipſe *Sanchez num.* 81. affirmat, quia in *eo cap.* ſoli ingredientes excommunicantur, admittentibus vero nulla pęna eſt ſtatuta. Nec dicendum eſt, hos incurrere in excommunicationem, eo quod participant in crimine criminoſo; quia ad hanc excommunicationem incurrendam oportet excommunicatos, cum quibus in crimine criminoſo participant, eſſe publice de ea excommunicatione denuntiatos, vt probat idem *Sanchez lib.* 7. *de matrimonio diſput.* 48. *num.* 3. At hi ingredientes nondum denuntiati ſunt.

An vero Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij prætextu licentiarum, incurrant in excommunicationem d. *Bullæ Gregorianæ, Diana* negat, & rationem affert, quia pęnæ appoſitæ in *d. Bulla* imponuntur Abbatiſſis, & Abbatibus, Conuentibus,

tibus,& c.& ibi nulla de Monialibus efficitur mentio, & tamen in *d.Motu proprio* volens Sum.Pont.comprehẽdere sub pęnis quascumque Moniales admittentes illos, qui ingrediuntur Monasteria cum licentia Episcopi in casibus non necessarijs, totum hoc expressit dicens indefinite, *Moniales*. Ergo si idem voluisset supra, in alijs pęnis, hoc expressisset, sicut postea, vti diximus, expressit. Idem *Diana Resolut. seq.* probat etiam, Monialem admittentem aliquem intra septa Monasterij, etiam ad malum finem, nec excommunicationem latam in *Conc.Trid.loc.cit.* incurrere.

In alio *Motu Gregorij XIII. qui incipit Dubijs, quæ emergunt*, statuitur in personas Pontificali dignitate præditas, quibus regimẽ Monasterij Monialium quouis modo incumbit, si in illa præterquam in casibus necessarijs ingrediantur, vt prima vice sint Ecclesiæ ingressu interdicti; secunda vice, vt sint à munere Pontificali, & à diuinis suspensi, atq; deinceps sint ipso facto excommunicati. Si autem sint regulares Prælati, quibus regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, si in ea præterquam in casibus necessarijs ingrediantur, subiaceant similiter excommunicationi, ac sint priuati omni officio, ac ministerio.

Notandum denique est, alias esse excommunicationes antiquiores contra ingredientes peculiaria Monialium Monasteria, quas referunt *Collector Priuilegiorum Mendicantium Verbo Ingressus Monast. Mon. & Rodericus quæst. Regular. Tom.1. quæst.47. art.1. & 2.* Nam *Greg.IX. & Eugenius IV.* Excommunicationem ipso facto incurrendam promulgarunt aduersus pręsumentes ingredi Monasteria S.Claræ. & *Bonifacius IX.* aduersus præsumentes ingredi Monasteria ordinis Prædicatorum; & *Iulius 2.* aduersus ingredientes Monasteria Conceptionis.

Quis vero possit postea absoluere ab excommunicatione particulariter lata in *d. Motu proprio Greg. XIII.* manifestum est, à solo Pontifice eius absolutionem concedi posse, quia Pontifex eã sibi reseruat. Quod si occulta esset excommunicato, posset vtique Episcopus ab ea absolute virtute *Trid. sess.24. de Reform. cap.6.* vbi omnes casus occulti sibi conceduntur. Sic *Diana loc.cit. Resolut.* 35. Ratio est, quia cum in reseruatione huius excommunicationis

cationis non efficiatur mentio de ***Conc. Trid.*** non censetur illi derogatum ex communi ***Doct.*** sentẽtia; quia decreta alicuius ***Conc. Generalis*** ita matura deliberatione sancita sunt, vt videãtur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi de illis specificam faciant mentionem, vt docet ***Henriquez***, & ***alij*** ab ipso ***Diana ibi*** citati.

Barbosa tamen ***in Addit. ad Allegat.*** 39. aduertit, quod à censuris incursis, propter ingressum ad Monasteria Monialium, non potest Episcopus absoluere, etiam si delictum sit occultum, quia ita declarauit ***Sacra Congreg.*** teste ***Ricc. in praxi Fori Eccles. Decis.*** 648. ***in*** 1. ***edit & resolut.*** 544. ***num.*** 5. ***in*** 2. ***edit. Nicol. Garc. p.*** 11. ***cap.*** 10. ***num.*** 122. ***Armendar. lib.*** 7. ***de irregular. num.*** 23.

Bonacina loc. cit pun. 5. ***num.*** 1. scribit, posse Episcopum ab huiusmodi excommunicatione absoluere, dummodo non sit publica; quia ab excommunicationibus occultis potest Episcopus, vti diximus, vel habens ab ipso facultatem absoluere virtute ***Concil. Trid. loc. cit.*** etiam si præfata excommunicatio lata sit post ipsum Trid. decretum. Qui etiam asserit, Religiosos habentes priuilegium absoluendi à censuris Summo Pontifici reseruatis, posse à prædicta excommunicatione absoluere, dummodo ingressus non fuerit ad malum finem; nam Decretum Clem. VIII. obstat, per quod derogat omnibus priuilegijs, prohibetque quibuscumque confessarijs sæcularibus, & singularibus, ne vigore ipsorum priuilegiorum præsumant absoluere à prædicta excommunicatione, & ab alijs casibus in ipso Decreto contentis. Sed de hoc particulari inferius.

Addit insuper ***Bonac. num.*** 3. tales religiosos posse absoluere à censuris Papæ reseruatis, etiam si ipsæ censurę ad forum contentiosum deductæ sint; quia id non obest, vt ipse ait ***num.*** 4. potestati ordinariorum Iudicum; quia cum religiosi non possint absoluere, nisi in foro consciẽtiæ, iudices integrum ius retinent in suo foro, perinde ac si delinquens absolutionem in foro conscientiæ non obstinuisset.

Obijcere quis potest, Episcopus non potest in casibus Summo Pontifici reseruatis absoluere, vel dispensare, dum crimen est publicum,

blicum, vel deductum in iudicium ex *Trid.* vti vidimus; igitur multo minus poterunt religiosi, quibus ex officio non competit cura animarum. Respondet *Bonac.* negando consequentiam, priuilegium enim pendet à voluntate concedentis, qui potest vni priuilegium amplum, & alteri restrictum, & limitatum concedere. In pręfato autem Concilij Decreto, licet restrictior facultas in hac parte Episcopis concessa sit, simpliciter tamen maius priuilegium illis datum esse videtur; quia datum est illis priuilegium per modum Statuti, complectens non solum absolutionem censurarum fere omnium, verum etiam dispensationem irregularitatis.

Potest etiam Episcopus in pœnis priuationis officiorum, & inhabilitans ad illa dispensare, si delictum est occultum, quod non possunt facere ipsi religiosi; licet eadem facultas competat Superioribus ordinis S. Dominici, & consequenter Superioribus ordinum Mendicantium, & gaudentium ipsorum priuilegijs. Sic *Pium V.* concessisse prædictis Superioribus, videlicet Generalibus, Prouincialibus, alijsque Superioribus localibus, vt per se ipsos, non tamen per alios, gaudeant eodem priuilegio erga suos subditos in foro conscientiæ, quo gaudent Episcopi erga suos virtute *Concilij Trident. dict. sess. 24. cap. 6.* Sic *Bonac. è Rodriquez numer. 5.*

8 *Episcopus in Monasterijs sibi subditis potest auctoritate ordinaria facultatem ingrediendi concedere, auctoritate vero delegata in Monasterijs Summo Pontifici subiectis.*

ILLVSTRATIONES.

NAm facultatem ingrediēdi Monasteria Monialium potest dare Superior, qui Monasterio præest, & cuius est clausurā Monialium indicere. Et in *Conc. Trid. d. sess. 25. de Regular* sic habetur, *dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs.* Idem dic de Vicario Generali Episcopi, dummodo habeat ad hoc speciale mandatum, vt declarauit Congregatio

gatio Card. Comprehenditur etiam nomine Episcopi Capitulũ Sede vacante, quia succedit in ordinaria iurisdictione Episcopali, & respectu talium Monasteriorum subiectorum posset etiam comprehendi nomine Superioris. Idemque à fortiori est de Episcopo electo, & confirmato, nondum vero consecrato; quia hic actus iurisdictionis Episcopalis est, quam ille iam potest exercere, *cap. transmissam, de elect.* Denique vtroque nomine comprehẽduntur sæculares Abbates, vel similes inferiores Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem, si habent aliqua Monasteria Monialium sibi immediate subiecta, vt per se satis patet, *Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 11.*

Qui *num. seq.* addit, verum esse, Prælatum regularem posse hãc facultatẽ dare in Monasterijs sibi immediate subiectis. Nã differẽtia est inter facultatẽ ingrediendi, & egrediendi; nam ad egressum causa semper est ab Episcopo approbanda, etiam in Monasterijs exemptis, & supposita facultate Prælati, vt probatũ est; ad ingressum autem nulla est necessaria approbatio Episcopi, quia *Concilium* illam nõ postulauit, nec *Pius V. nec Greg. XIII.* aut alius Pontifex, nec in *responsis Congregationis Cardinalium* vlla est de hoc mentio. Grauior igitur facultas egrediendi, quam ingrediendi reputata est, & ideo differentia illa constituta videtur. Moniales in ciuitate situatæ, sed alieno Episcopo subiectæ, visitantur ab Episcopo Diœcesis, sicut aliæ Moniales subiectæ Regularibus, sic refert decisum *Galet. verbo Monialis* 4. Sed practicatur diuersimode in Patriarchali nostra Diœcesi. Ad decisionem autem respondendum est, de ea authentice non constare, ac ideo non obligare.

Apponam hic Decretum *S. D. N. Vrbani VIII.* quod tangit, immo resoluit quidquid spectat ad Decisiones, & Declarationes huiusmodi.

Cum Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sæpius, & nouissime sub *die 29. Aprilis* 1621. Inhærendo Constitutionis Felic. record. *Pÿ IV.* quæ incipit, *Benedictus Deus &c.* decreuerit Indici librorum prohibitorum addendas esse omnes, & quascumque Declarationes, Inter-

K preta-

pretationes, seu Decisiones sub nomine eiusdem *Congregationis Concilij* absq; illius auctoritate impressas, & imprimendas; cumque ad illius notitiam peruenerit, quãplures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus iuxta contigentiam casuũ, illorumq; qualitates, & circumstantias à se diuersis temporibus, factis secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias mentito Sacræ Congregationis nomine confictas, nulloq; propterea authentico sigillo munitas, istasq; per Tribunalia tam in vrbe, quam per orbem circumferri, & imprimi, consideransque quantum detrimẽti recipi possit, si aliqua fides illis adhiberetur. Ex speciali Sanctissimi *Domini Nostri Vrbani Diuina Prouidentia Papæ Octaui*, iussu mandat; & præcipit huiusmodi declarationibus, tam impressis, & imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantum illis, quę in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli nostri impressione communiri, ac typis mãdari iussimus. *Datum Romæ die 2 Augusti* 1631. *R. Card. Vbaldinus.*

Abbatissa autem non potest facultatem ingrediendi Monasterium concedere. Hoc tamen intelligendum est, vt ait *Bonac. num.* 5. nisi Episcopus, aliusue legitimur Superior hanc facultatem ipsi Abbatissæ delegauerit; cum enim Moniales aliorũ opera sæpissime indigeant, nec facilis ad Episcopum aditus pateat, iure merito Episcopus, aliusve legitimus Monialium Superior potest hanc facultatem Abbatissę, vel Confessario delegare in casibus sæpe contingentibus, si ita expedire iudicauerit. *Sic Bonac. num.* 5. *contra Sanchez.*

Qui etiam *nu. seq.* ait, præfatam conclusionem esse limitãdam primo in ingressu Monasteriorum S. Claræ, & Conceptionis. Ratio est, quia ad ingressum in istarum Monasteria non sufficit licentia Episcopi, vel Superioris, sed requiritur licẽtia Papæ, preter casus in regula istarum Monialium exceptos. Deinde in Fratribus minoribus, Ratio est, quia huiusmodi Fratribus interdictũ est

eſt Monaſteria quarumcumque Monialium ingredi abſq; ſpeciali Summi Pontificis licentia, vt patet ex Regulis ipſorum fratum.

Ab hac tamen ſecunda limitatione excipiuntur, ſequitur *Bonac. num.* 7. Fratres minores rogati à Prælatis curam Monialium habentibus, vt ſibi opem in eo miniſterio ferant, vt patet ex priuilegijs Leonis X. Nec eſt reuocatũ hoc priuilegium per *Gregorium XIII.* quia in ſua Conſtitutione reuocat priuilegia perſonalia, non realia. Priuilegium autem Leonis conceſſum Religioni Fratrum minorum nõ eſt perſonale, ſed reale; Quia priuilegium, quod cõceditur perſonę fictæ, ſeu miſticę, vt eſt Ciuitas, Religio, Collegium, Monaſteriorum, Cõuentus, & ſimilia, eſt priuilegium reale, quia perpetuum eſt.

9 ***Superior, qui facultatem ingrediendi Monaſteria poteſt alijs concedere, poteſt etiam ipſe abſque alterius licentia ingredi.***

ILLVSTRATIONES.

MOdo id faciat in caſibus neceſſarijs, & non ingrediatur, niſi paucis, ijsque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitatus. Ratio, quia ſic expreſſe decernitur in quodam *Motu Greg. XIII. qui incipit, In dubijs, quæ emergunt*; Vbi dicitur, hanc facultatem ipſi ex officio attributum eſſe. Id etiam licet illi, qui delegatam huius licentię poteſtatem habet, non limitatam tamen ad certas perſonas, ſeu ad certum perſonarum genus, intra quas ipſe comprehendi nequeat; vt ſi facultas ei data ſit, ad dandam licentiam ruſticis hominibus, vinum vel triticum deferentibus, aut confeſſarijs ordinarijs, ipſe autem non ſit confeſſarius, aut triticum non deferat, cauſa enim limitata limitatum producit effectum, & facultas ſuos terminos non excedit.

10 ***Licentia ingrediendi clauſtra Monialium debet eſſe ſpecialis, & in ſcriptis.***

ILLVSRATIONES.

QVod debeat esse specialis, constat *ex c. in princip. de statu regular. in 6. ibi. nisi specialis licentia. Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 2.* qui vna cum *Archidiacono, & alijs* bene explicat, id est specialiter obtenta; nec enim necessarium est in licentia specialem alicuius personæ mentionem fieri, sed satis est generalis licentia à superiore concessa, vt Medici, aut fabri, & similes ingrediantur; quippe hæc specialis dicitur, quia specialiter ad ingressum conceditur, & si non specialis quoad personam singularem in ea nominatam.

Quod autem debeat esse in scriptis, patet ex *Trid. sess. 25. cap. 5. ibi, sine Episcopi, aut superioris licentia in scriptis obtenta, nisi periculum sit in mora.* Sic *Bonac. punct. 2. num. 2.* Qui etiam hoc verum esse arbitratur, non solum in casibus extraordinarijs, verum etiam in ordinarijs, qualis est ingressus medicorum, chirurgorum, & similium.

Llamas tamen in *Append. sui Methodi* §. 6. asserit, non exigi licentiam specialem, nec in scriptis, quando causa est clara. Idem sentit *Portel loc. cit. V. Clausura Monialium num. 3.* inquiens, pro talibus, idest pro personis supradictis, non requiri licentiam scriptam, sed standum esse consuetudini regulatæ. *Miranda*, quoque eamdem sentẽtiam tuetur, & pro hac citat etiam *Nauar.* qui inquit, quod in casibus extraordinarijs non requiritur superiorum licentia, nec scripta, nec non scripta, vt in simili tenet *D. Th.* communiter receptus 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 5. dicẽs, non requiri dispensationem superioris, cum causa non ieiunandi est manifesta, & non potest facile adiri superior, præsertim si consuetudo illud habet. Quod huic nostro casui aptari posse inquit *Miranda*, nisi forsan dicatur, quod in eiusmodi casibus Superiores Abbatissis, vel ipsarum confessarijs debet dare eiusmodi facultates generales scriptas, vt illis occurrentibus, ipsæ etiam ingrediendi licentiam possint dare.

Sanchez tamen *loc. cit. num.* 38. credit, licentiam datam, non ad ingres-

ingressum, sed ad concedendam ingrediendi facultatem, non debere necessario esse in scriptis, quia non est vere licentia ingrediendi, quam solam in scriptis petit *Tridentinum*. At hoc sic limitat ipse *Sanchez*, quando sc. ea facultas esset in scriptis concedenda; vt si Prælatus diceret sic, Concedo ingrediendi licentiam his personis, quas Abbatissa, aut quidam tertius arbitratus fuerit esse necessarias ad tale ministerium; quia ea est vera ingressus licentia. Id tamen arbitrium nullo iure scripturam peteret, quippe quod non est ingressus licentia. Est tamen verum, licētiam, quam ipsa Abbatissa concedit, indigere scriptura, quia hæc est licentia ingrediendi. *Bonac. num.* 4.

Qui approbandam censet praxim, & vsum alicubi receptum, vt in hac nostra Diœcesi Veneta, quo Episcopus, vel eius Vicarius facultatem quamdam generalem, quoad personas, sed specialem, quoad ingressum in scriptis concedit quibusdam operarijs, quorum opera indigere solēt Moniales circa Monasterij vsum, vt cementarijs, fabris, lignarijs, & similibus, seu Petro cementario cum sua societate, seu illis, quos elegerit Abbatissa, seu Medicis, Chirurgis, & c. hoc enim non est priuilegium concedendæ licentiæ, sed est concessio licentiæ, seu licentia ipsa ingrediendi, quam in scriptis concedendam esse requirit Tridentinum.

Homobonus de casibus reseruatis p. 2. cap. 5. sect. 1. postquam probauit, licentiam pro illis, qui Monasteria Monialium adeunt, in foro animæ sufficere, vt verbotenus concessa sit, licet quoad forū externum, vt deprehensus in collocutorio temporalem pœnam euitet, vt scripto tradita sit requiri; subiungit, idem dicendum esse de facultate data ad ingrediendum septa Monasterij, vt scilicet, & si per *Decretum Concil. Trid.* in scriptis obtenta requiratur, illud quoad forum exterius intelligatur; nam in interiori animi foro, in quo sola veritas attenditur, sufficit, vt consensus iure naturali requisitus interueniat per celebre *Innoc. in c. quod sicut num.* 8. *de elect.* & singulare esse dicit *Abb. in c. quia plerique in fine quæst.* 9. *ext. de immunit. Eccles. & Felynus in cap.* 1. *num.* 39. *ext. de Constit.*

Idem eruditissimus vir nouissime à me consultus super supra-

dictam

dictam difficultatem, mihi per litteras respondit, doctrinam suã, quod scilicet in foro conscientiæ sufficiat, licentiam ingrediendi Monasteria Monialium verbotenus dari, & quod ad theoricam, & quod ad praxim vbique teneri, dicens insuper quod Reuerendissimus Dominus Suffraganeus Bononiensis, in Ecclesiastico regimine versatissimus, vna cum multis alijs doctissimis viris, maxime demirantur inueniri, qui contrariam tueantur sententiam.

Portel item loc. cit. verbo Clausura Monialium num. 13. licentiam in scriptis, vt quis licite ingrediatur clausuram Monialium, tunc requiri, quando quis debet in casu particulari ingredi non vero vi ordinarijs, qualis sunt circa Medicum, Chirurgum, portantes ligna, onera, cementarios. Et similiter operarios; pro his enim non requiritur licentia scripta, sed standum est consuetudini regulatæ, vti supra dictum est.

XI. ***Facultas ingrediendi Monasteria Monialium concedi non debet, nisi ob causam necessitatis Monasterijs, seu Monialium manifestam, cui aliter commode occurri non possit.***

ILLVSTRATIONES.

RAtio desumitur tum ex *Motu Greg. XIII.* tum *ex Trid.* tum *ex cap. periculoso*; Tum quia frustra clausuræ obligatio inducta fuisset, si quauis de causa facultas ingrediẽdi concedi posset. Sic *Bonacina punct. 4. num.* 1. Qui etiam ex hoc infert, causam, quæ rationabilis censetur in præfato cap. periculoso, ad casum necessitatis reuocari in Trid. & in *Constit. Gregorij*. Quamobrem non quæcumq; causa, quæ rationabilis Superiori alias forte visa fuisset, hoc tempore sufficit, sed opus est, vt necessitas subsit, cui Moniales per se ipsas sine extraneorum ingressu commode occurrere nequeant.

Causa autem dandi huiusmodi licentiam debet esse moraliter necessaria; non vero requiritur necessitas Logica, vel Metaphysica; & minor necessitas requiritur, vt intrent mulieres, quam vt intrent viri. Et proinde hæc necessitas regulãda est arbitrio prudentis,

dentis,& timorati Prælati. Debet etiam hæc causa esse manifesta, quæ talis dicitur, non solum dum à toto populo scitur, verum etiam dum soli Prælato licentiam concessuro nota est.

12 *Habet 1. iustam causam ingressus confessarius, quando locus, vbi infirma iacet, non est prope fenestellam, per quam absque ingressu confessio commode excipi potest.*

ILLVSTRATIONES.

ITa *Sanchez loc.cit.num.44.* Dicitur commode, quia quandoque Monialis ita surda est, aut grauitate morbi pressa, vt oporteat proprius, quam per fenestellam confessarium accedere. Eamdemque iustam causam habent ministraturi Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis infirmis, sacerdosque celebraturus.

Quoties vero confessarius, aut ministraturus Eucharistiam ingredi possit, respondet idem *Sanchez num.seq.* non solum id fas esse, quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiã ipso morbi initio. Immo id licitum est, quoties ex Regulæ suæ præcepto, aut ex laudabili Monasterij vsu solent Moniales confiteri, Eucharistiam quæ recipere; ac tandem, quoties infirma dixerit, se Sacramento Pœnitentiæ indigere. Nec stricte hæc indigentia sumenda est; sed quando ad veram, & propriam consolationem confiteri desiderat, quia iustum est tristitiam infirmæ tam salutari medicina leuare.

Quæri potest, num sacerdos in præfatis casibus possit cum socio ingredi, quoties ad hæc facienda ministerij socij indiget, affirmat cum *Sanchez Bonac.loc.cit.num.4.* maxime si confessarius, aut alius sacerdos celebraturus est in sacello valetudinarij, vt Moniales, quæ pristinam sanitatem nondum acquisierunt, & valetudinario sine incommodo egredi non possunt, Missæ sacrum audiant. Idem asserit *Barbosa loc.cit.num.49.* attestans *ex Rodriquez, & Miranda,* nullibi reperiri prohibitum, ne celebretur, aut sacrum fiat in infirmaria, in oratorio, siue altari, vt moris est, approbato, & adhoc debite disposito, & præordinato.

Sanchez

Sanchez insuper *loc.cit.num.46.* addit, sacerdotem religiosum semper posse, dum Monasterium ingreditur, cum vno socio ingredi; quia consuetudo, & decentia postulat, vt religiosi numquã soli incedant. Idem innuit *Miranda quæst.2.de Monialibus art.17. & alij*. Sed hoc *Bonacinæ* non probatur, quia nulla necessitas cogit socium ingredi, vt supponitur; nec dedicet confessarium claustra Monasterij ingredi, socio ad ianuam remanente; sicut non dedecet religiosum in vno cubiculo negotium cum Principe agere, socio illum ad Palatij ianuam expectante, nisi aliud circumstantiæ aliquæ suadeant.

Approbat tamen ipsi *Bonacina* quod idem *Sanchez numer.47.* subdit, nempe in his casibus, in quibus sacerdos cum socio, cuius opera indiget, ingredi potest, necessariam non esse peculiarem pro socio licentiam, sed sufficere licentiam ipsi sacerdoti explicite concessam, quia hæc etiam ad socium extenditur. Ratio est, tum quia socius in huiusmodi casu in priuilegio compreheditur ob actionis connexionem; alioquin priuilegium inutile redderetur. Tum quia sic colligitur ex cap. licet de priuileg.in 6. vbi decernitur, priuilegium alicui concessum ad audienda diuina tempore interdicti extendi etiam ad familiam, quæ priuilegiarium comitatur.

13 *Habent 2. iustam causam ingressus Medicus, Chirurgus, aliique ad medendum morbo necessarij. Et similiter fabri, & ministri necessarij alicui ædificio Monasterij, & alij huiusmodi.*

ILLVSTRATIONES.

ADde cum *Bonacina num.5.* idem probabiliter dici posse, dum Monialis de sua dubitans valetudine, medicum ad lectum accersiri iubet, vt ictum pulsus experiatur; licet ipsa sine magno salutis detrimento ad ianuam accedere potuisset, sed medicum ad ianuam vocare noluit ob magnam erubescentiam.

Baiuli iustam ingressus causam habent, dum aliquod onus in Monasteria transferẽdum est, quod à Monialibus commode portari

tari nequit. Sed hoc limitandum videtur, modo ipsi sint vere baiuli,& aliquid portent in vtilitatem Monasterij;ingressus enim in Monasterium permissus tantummodo videtur ob vtilitatem Monasterij, seu necessitatem, nisi ius naturæ, vel diuinum aliud suadeat. *Bonacina num.* 8.

Vnde infert ipse, non videri licitum baiulo Monasterium ingredi, vt alicuius pecuniam arca impositam, aut alias res magni pōderis in Monasterio deponat;hic enim de Monasterij vtilitate non agitur,vt supponitur; nisi forte res illæ sint alicuius de Monasterio optime meriti, cui hoc absque graui Monasterij incommodo denegari non possit; aut nisi charitas obliget ad huiusmodi depositum causa securitatis recipiendum; qua in re prudentis, superioris iudicio standum est.

Libet hic recēsere aliqua ad clausuram spectantia ex *Barco in suo Speculo religioso pro Monialibus cap.* 18. Et primo, habens licentiam pro vno seruitio ingrediendi, si ingrediatur pro alio præstando, incidit in excommunicationem. 2. quando in licentia cōceditur facultas ingrediendi, e.g. fabro lignario, operarius non potest ingredi sine ipso fabro lignario, aliter excommunicatione innodatur. 3. si baiuli loco famulus, aut alius, qui non sit baiulus, portat aliquid in Monasterium, ingrediēdo remanet excommunicatus. 4. famulus Monasterij ordinarius, aut hortulanus ingrediens sine causa indifferenter in Monasterium in excommunicationem incidit. Tandem hoc sit pro vnica regula, quod vt ingressus sit licitus hæ tres requiruntur conditiones, nempe, vt nec per Moniales, nec absque ingressu commode ministeria, pro quibus ingressus conceditur, exerceri valeant, sintque insuper ipsa necessaria.

Qui licentiam ingrediendi Monialium cænobia obtinuit, ex causa, quæ suberat tempore cōcessionis licentię, sed tempore ingressus cessauit, non est tutus in conscientia, sicut etiam qui licentiam obtinuit, ex causa, quam falso narrauit Superiori, non potest licite ingredi, licet tēpore ingressus iusta causa superueniat. *Bonacina num* 19.20. qui etiam negat, licitum esse ingressum, si Superior conscius erat nullitatis causæ,& nihilominus licentiam

concedere voluit. Limitat tamen, dummodo huiusmodi licentia non fuerit obtenta bona fide, quia Superioris est causam concedendæ licentiæ examinare, & approbare.

Ingressus cum iusta causa Monialium Monasterium, si finito ministerio, cuius causa ingressus est, statim non egreditur, nihilominus non peccat. Ratio, quia cum hoc sit præceptum morale, consequenter morali modo, & non metaphysico explicandũ est. Quamquam fieri potest, vt grauiter peccet, vt animaduertit *Bonacina num.22.* ratione alterius circumstantiæ, vt si breuem aliquam moram ibi trahat animo percutiendi Monialem, aut furandi, aut turpe aliquid faciendi.

Immo probabilissimum tenet idem *Bonacina*, affici excommunicatione Papę reseruata, si ad malum finem in Monasterio Monialium immoretur. Ratio est, quia hic dicitur violare clausuram ad malum finem, vt supponitur; violans autem clausuram ad malum finem, afficitur excommunicatione Papæ reseruata, à qua neque Religiosi, aut alij habentes facultatem absoluendi à censuris Summo Pontifici reseruatis, absoluere possunt ex *Decreto Sacræ Congreg. iussu Clem. VIII. edito anno* 1602. 26. *Nouembris.*

14 *Superiori ex causa licitus est, cum decenti comitatu in Monasterium Monialium ingressus.*

ILLVSTRATIONES.

MVltæ sunt causæ, quæ reddunt huiusmodi ingressum superioribus licitum. Causa visitandi officinas conuentus, ædificium construendum, aut minans ruinas. Causa tractandi occultas res Cõuentus in Capitulo conuẽtuali; quia in huiusmodi rebus tractandis nullus est capitulo conuentuali aptior locus. Causa electionis Abbatissæ, sed tantum quoties magna subornationis suspicio est; seu quoties electio canonice fieri non potest, nisi ipse in Monasterium ingrediatur. Ita communiter *Doctores.*

In-

15 ***Ingressus tantum, non autem accessus ad Monasteria Monialium prohibitus est.***

ILLVSTRATIONES.

ET hæc conclusio difficultatem non habet, spectato solo Concilio, vt ait *Suarez Tom.4. de Relig. lib.1. cap.10. num.24.* nam in eo nulla fit mentio accessus, sed solum ingressus. Et ita certum censendum est, omnia, quæ disponit, ad solum ingressum pertinere, nec per alium actum violaris prohibitionem eius, aut incurri censuram.

Sed dubium oriri potest ex *Decreto Bonifacij VIII.* quia hæc duo distinguit, dicens, Nullique in honestæ personæ, nec etiam honestæ ingressus, vel accessus pateat ad easdem. Et eodem modo loquuntur nonnulla antiqua decreta, sed ipse *Suarez* tenet, legem illam *Bonifacij*, sicut non fuit recepta, quo ad ingressum, ita etiam neque quo ad accessum, & ideo non obligare ad mortale.

Ex circumstantijs vero varijs poterit esse mortale, ex praua scilicet intentione, ex materia locutionis, ex scandalo, vel respectu monialis, si ei occasio peccandi detur; vel respectu sui ipsius, si quis sciat se inde constitui in periculo peccandi; vel respectu aliorum, si inde rumor, vel mala suspicio oriatur.

Denique, vt ait *Suarez num.27.* dicendum est, omnem accessum furtiuum ad Moniales esse peccaminosum. Vocat autem furtiuum omnem illum, qui fit sine licentia Abbatissæ, vel eius, ad quem pertinet illam dare; & regulariter censet esse peccatum mortale, etiam si ad mortalem finem non ordinetur, quia est contra ius Monasterij, & Abbatissæ, & contra bonum nomen eius; nam inter sæculares furtiue accedere ad colloquẽdum cum Virgine existente sub cura parentum, ex suo genere est grauis iniuria; multo ergo magis in Virgine Sacra. Erit autem grauior hæc culpa, si accessus sit ad loquendum per loca inusitata, quia tanto est maior iniuria, & periculum scandali. Sed de accessu hoc, & præcipue Regularium late in Collectaneis egimus.

Addam nonnulla ex *Gauanto in suo Manuali Episcoporum* nempe, Edictum Episcopi contra colloquentes cum Monialibus sub pœna excommunicationis comprehendere etiam eos, qui adeũt Monasteria Monialium, non subiecta Episcopo, existentia in sua Diœcesi, si fiat mentio etiam de exemptis. Non permitti accessum ad Moniales sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, cantumve, ad crates. *Congreg Epis.* 13. *Septemb.* 1583. Præfectam asseruare debere omnes licentias, quas quisque feret alloquendi Moniales; Episcopoque clausuram visitanti, & quoties voluerit, eas exhibere.

Portæ duæ tantum concedantur, & vnaquæque duabus clauibus claudatur, altera apud Præfectum, altera apud antiquiorem professione. In collocutorio nullo modo sit porta, per quam aditus sit in Monasterium. *Congreg.* 12. *Octobr.* 1592. Ne detur ostium, per quod ex Monasterio sit aditus ad exteriorem Ecclesiam. *Greg. XIII.* 1573.

Confessarius ingredi non potest clausuram, prætextu sepeliẽdæ Monialis, aut officium funerale peragendi. *Congreg. Epis.* 4. *Septemb.* 1595.

Ad ministrata extrema vnctione, relinquantur alia Monialibus ad bene moriẽdum, & exeat confessarius. *Congreg. Ep.* 13. *Septemb.* 1583. Sed hæc duo non sunt in vsu in nostra Diœcesi Veneta, nam semper licuit confessariis clausuram ingredi ad spiritualem opem Monialibus agonizantibus præstandam, nec non dandam defunctis Ecclesiasticam sepulturam.

De Electione Abbatissæ. *Cap. VII.*

1 ***Electio Abbatissarum, vel Priorissarum Monialium claustralium debet fieri per vota secreta.***

ILLVSTRATIONES.

C*oncil. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *de Regularibus.* Per vota secreta, ita vt singularum eligentium nomina numquam publicentur.

Electio-

Electionem item factum per vota nō secreta per ignorantiā *Decreti Conc. Trid. d. c. 6.* non valere, nec Episcopum posse dispensare, vt valeat, refert *ex Riccio, & Sigismundo à Bonon. Barbosa in Addit. ad Alleg.* 100. Et aduertendum est cum eodem Sigismundo, Decretum de non manifestandis suffragijs ligare etiam ignorantes quo ad nullitatem actus, non autem quo ad alias pænas.

Hinc *Sacra Congregatio* sic censuit, Electio Abbatissę facta per vota non secreta per ignorantiam huius Decreti non valet regulariter, ac de more. *S. D. N.* tamen dispensat consideratis circumstantijs, quia ex quo electio est nulla à principio, illa non potest conualidari per superuenientem dispensationem Episcopi.

Eligi igitur debet Abbatissa per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur. *Ita Trid.* Et postea addit verba irritantia electionem aliter factam. Quod adeo verum est, vt *Congregatio Cardinalium* declarauerit, vt testatur *Suarez 4. Tom. de Relig. lib. 2. cap. 5. num.* 11. Quod si per electionem factam in Bullis Confirmationis, seu patentibus exprimerentur nomina elegentium, electio sit nulla; quia adhuc videtur electio non esse plene consummata, & ideo totum illud secretum censetur esse de substantia electionis.

Quoad futurum postea spectat, vt nomina sc. eligentium numquam cum effectu publicentur, seu manifestentur, cū hoc sit quid contingens, & pendens ex facto, & arbitrio hominum, non potest pertinere in se ad substantiam electionis, sed ad summū in obligatione; alias penderet electio ex futuro euentu, quod esse non potest. Sic *Suarez loc. cit.* Concludens respectu futuri sufficere actus obligationem, quam rigorosam esse existimat, & sub graui culpa, quia materia magni momenti est.

Vt numquam possit nomina publicari, optime fiet, si suffragiū non voce proferatur, sed scriptura aliquantulum immutata, vt non agnoscatur, & ita à nemine sciatur, atque adeo à nemine publicari possit. Et ita iuxta hanc intelligentiam plane excluditur per illa verba modus proferendi suffragium per vocem. Esse tamen nimis rigorosam, & coactam expositionem contra proprietatem verbi, præsertim in morali vsu asserit ipse *Suarez.*

Qui

Qui *num.seq.* dicit,se existimare non tantum cadere in scrutatores,qui vota recipiunt,sed etiam in ipsosmet ferentes suffragiũ ipsius suffragij decretum,quia Concilium districte pręcipit,omnes supradictas eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicẽtur; hoc igitur districtum præceptum non limitatur ad has, vel illas personas, sed indefinite ponitur; ergo comprehendit omnes, per quos possit talis publicatio fieri, ergo comprehendit ipsos eligentes, & quemlibet eorum. Vt enim hoc præceptum grauiter frangatur, non est necesse, vt multa suffragia, aut multis personis reuelentur, sed satis est, vt quilibet eligẽtium cuicumque personæ manifestetur, quia iam rumpitur secretum. Quod adeo verum est, vt sufficiat talis manifestatio vnius suffragij facta vni personę extra formam pręscripti,ad annullandam electionem, si in ipsamet electione fiat,vt à *Congreg.Card.* declaratum est.

Barbosa tamen *loc.cit.* asserit,puram, & simplicem ostensionem schedulæ secreto factam ab aliquo ex electoribus ad effectum, vt videat quem ipse eligat, non tollere quin electio subsequens immediate sit secreta. Sic ex *Nauar. Emman. & Castellin. ipse Barbosa*, obseruans cum ijsdem,eo casu electionem esse irritam,& nullam, quando electorum vota culpa, & dolo totius, vel maioris partis Monasterij,seu Capituli publicarentur; vel quando manifestatio vnius, vel plurium votorum est realis causa, vel præsumptiua rationabiliter,quod electio sequatur in hanc, vel illam personam particularem ex vi illius ostensionis.

Garzia par.5.de beneficijs cap.4.num.195. Post nonnullas adductas declarationes *Conc.Trid.* inquit, Vnde si quis de facto attentaret dare votum publice, seu palam, non debet permitti à Capitulo, sed quod secreto præstet suum votum, aliàs electio esset nulla; immo tamquam indignus posset talis excludi, ne votum in electione emittat,& hoc auctoritate Ordinarij,pro illa vice tantũ.

Castellinus loc.cit.cap.5.num.27. Scribit, quod Superiores non debent tolerare, vt vocales omnes, vel maior pars illorum, ante electionem, suam declarent mentem,maxime in scriptis, significando palam litteris aliquando directis etiam Superioribus,

quem

quem velint eligere; vti aliquando accidit, quando ad alicuius suggestionem id scribunt superioribus, siue alijs, resolute dicendo velle se eligere hunc, vel illum nominatim.

Idem ***Castellinus cap.4.nu.62.*** affirmat, electionem factam per scrutinium, in qua non comburuntur schedulæ omnes post numerationem votorum coram Capitulo, esse irritam ***ex Declaratione viuæ vocis oraculi facti à Pio V. Cardinali Gribello. Idem*** etiam ***num.61.*** asserit, electionem, in qua vnus eligentium data opera signauit aliquo patēti signo suam schedulam, vt innotescat scrutatoribus, vel vni ex illis, quod talis elector elegit illum nominatum in schedula, facere non secretam contra dictam formam ***Tridentini.***

Zerola in Praxi episc.p.1.Verbo Abbatissa §.6. refert casum, quod sc. decisum fuit Romæ in electione Prouincialis Carmelitanorū Prouinciæ Terræ Caboris Regni Neapolis, qui fuit electus vnanimi consensu vnica voce, omnibus fratribus acclamantibus, eligimus talem; tamen quia non fuit electus per vota secreta, fuit declarata irrita electio, & loco illius fuit alter electus. Ratio est, quia forma est essentialis, data à Sacro Concilio, quam non licet alterare.

Barbosa loc.cit. aduertit, quod licet omnes electiones regulariū debeant fieri per vota secreta, non tamen cēseatur sublata forma ***c.quia propter de elect.*** sed adhuc in suo robore perseuerat, citat ***Decis.Rotæ, & multos Doct.contra Mirandam.***

Si numerus eligentium est adeo paruus, vt ex necessitate detegantur eligentes, si hec permittunt Statuta religionis, Concilium etiam tolerat. Messanen.

Si in fundatione Monasterij fundator mādet, vt Abbatissa pro tempore eligatur de sua familia, talis ordinatio est seruanda, si ex genere ipsius reperiatur Monialis idonea cum omnibus qualitatibus requisitis, & necessarijs. ***Pacen.***

Si in electione Abbatissarum assumantur vltra ordinarium superiorem duo, vel tres, qui vota Monialium recipiant oretenus, secreto tamē expressa, electio censetur secreta, dummodo hoc fit iuxta formam Statutorum suæ religionis. Sed si assumantur ali-

qui,

qui publicent electionem, antequam sit completa, tunc censetur contra formam Concilij Tridentini. *Lauorius Variarum lucubrationum Tom.* 1. *Tit.* 4. *cap.* 24. *numer.* 41. Ex *Declaratione Sacræ Congreg.* Sic decernentis, In electione Abbatissarum vota oretenus accipi possunt à suis Superioribus, licet quattuor, vel quinque id sciant; si hoc est iuxta formam statutorum Religionis; quæ intelligenda sunt, dummodò non publicentur vota eligentium.

Hinc videtur posse colligi, hodie collationem zeli ad zelum eligentium sublatam esse per *Concilium Trid. sess.* 25. *cap.* 6. *de Regular.* Quoad electionem non solum Abbatissarum, sed etiam Prælatorum Regularium, dum præcipit, quod per vota secreta fiat, & eligentium nomina numquam publicentur; vnde videri non potest, vt ait *Lauorius cap.* 19. *num.* 89. Quis maiorem relum habuerit, cum is, qui votum tulerit nesciatur; quare in hoc seruari non potest *decretum d. cap. quia propter*, quod attendatur maior, & sanior pars, sed solum fit collatio numeri ad numerum, ad dignoscendum, in quem maior pars consenserit, vt infra dicemus.

2. *Triplex est forma canonica electionis, scrutinij scilicet, compromissi, & quasi inspirationis.*

ILLVSTRATIONES.

I*Nnoc. in d. c. quia propter de elect.* Primus modus est per scrutiniũ, siue collectionem suffragiorum. In quo notandũ, quod si in scrutinio maior eligentium pars non consenserit, irrita est electio ipso iure communi; ideoque conualescere non potest accessione consensus aliorum, sed nouo scrutinio opus est, sicut habetur in *cap. auditis, de elect.* vbi *Abb. num.* 5. *& in cap. Ecclesia,* 2. *num.* 10. *eod. tit.* Aliter se habet in electione Summi Pontificis; hæc enim conualescere potest per accessum aliorum, si efficiat duas partes eligentium, *c. licet de vitanda, vbi Abb. num.* 8. *eod. tit.*

Alter modus eligendi est per compromissum, si omnes è Capitulo præsentes, potestatẽ eligẽdi committant vni, vel pluribus

viris bonis,ac Deum timentibus, *c.causam quæ,c.in causis de elect.* Quod duobus modis fieri potest. Primo limitate,vt compromissarij secreto, & sigillatim voluntatibus singulorum exquisitis,eũ, in quem maior,& sanior pars capituli consenserit,eligere teneãtur,c.cum expediat,*de elect.in 6.*Quæ forma eligendi quasi composita ex scrutinio, & compromisso,cæteris melior, & expeditior est, secundum *glos.ibid.ver.*inquisitis. Secundo,simpliciter, & absolute commissa potestate compromissarijs, vt eligant quem velint, dummodo idoneum; nam alioquin compromittentes recipere non coguntur, *c.causamque,de elect.*

Tertius demum modus eligendi est, quasi per inspirationem diuinam,dum omnes electores,tamquam vno corde in vnã,& eãdem personã absq; vitio,cõsentiunt,*Cit.c.quia propter.*Dixit *text.* quasi per inspirationem,& non per inspirationem,quia longe distant inter se electio per inspirationem, & per quasi inspirationẽ. Illa non subiacet legi,neque regulæ,aut formæ,quæ requiritur in electione, cum à Spiritu sancto proficiscatur; & fit nullo ordine seruato inter eligentes, vt quando quasi inebriati omnes eligũt. Exempla sunt de *DD. Ambrosio, Martino, Nicolao, & huiusmodi,* de quibus habetur *in c.statuimus §.in omnibus dist.61.*

Notandum est,eum,qui non potest eligi, postulari tamen posse, siue omnino inhabilis sit ad exercendam Prælaturam, seu facile dispensabilem defectum habeat, sicuti docet *Abb.cap.vlt.de postul. Prælat.num.*10. Puta in ætate legitima *c.cum nobis de elect.* vel in ordine sacro ad Prælaturam requisito,*cap.dudum* 1*.de elect. un.c à multis de ætate, & qualit.* Vel in natalibus, *cap.innotuit, de elect.*in quo habetur,illegitimum, si ad Episcopatum idoneus sit, postulari posse,licet eligi non possit Huiusmodi postulatio si concors, vel saltem à duabus partibus capituli, per ecclesiæ necessitatem,vel vtilitatem fiat,tunc quodammodo debita Ecclesiæ est eius concesso; qua de re *Glos.in cap.cupientes prope finem ver.gratia,de elect.in 6.Hostiensis,* seu *Ioan. Andreas in c cum Monasterium, extra eod. Abb.in c.postulationem eod.tit num.2.& 5.Syl.q.7.*

Libet hic apponere *Declarationem Sacræ Congregationis Concilij* super *Constitutione San.me. Gregorij XV.de exemptorum priuilegijs.*

An liceat Episcopo in vim Constitutionis ***San.mem. Greg.XV. de exemptorum priuilegijs***, punire regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænuntiata. ***Sacra Congregatio Cardinalium Concil.Trid.Interpretum*** respondit, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declarauerit, se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumq; electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

3 ***Tutior modus procedendi in electionibus Canonicis censetur ille per scrutinium, & præsertim per schedulas.***

ILLVSTRATIONES.

CAstellinus ***loc.cit.cap.7.num.2.*** Ratio, quia totum sic fit cum maiori rectitudine, ac libertate, omnique remota fraude; nam ad tollendas fraudes maxime prouidere intēdunt, & adhoc suam dirigunt intentionem Sacri Canones; Ideo forma supradicti modi frequenter præcipitur, vt obseruetur. Ita sentit ***Rodericus Tom.2.quæst.Reg.q.52.art.8.*** per totum, vbi inter quam plura adducit ***Constitutionem quamdam Sixti V.*** ab eo editam pro Fratribus Minoribus de obseruantia, ***die 29.Iunij*** 1587. in qua præcipit, vt eorum electiones fiant in posterum per schedulas, assumpta forma per scrutinium, ita vt nomina elegentium remaneant semper occulta, etiam confirmatori.

In electione per scrutinium non valet suffragium dubium, vt si dicatur in schedula, eligo Petrum, & Iacobum; neque si dicat, eligo quem Petrus elegerit. Neque debet dari sub conditione, vt si dicat, eligo Petrum, si tale, vel tale fecerit, vel contigerit. Sic ***Portel è Rodriquez V. eligere num.*** 1. vbi etiam ait, videri non valere

ſere ſuffragium ſic datum. Eligo quem elegerit maior pars Conuentus, vel quem elegerit Prælatus præſidens. Eſt enim in certa electio,& ſimilis præcedentibus.

Notandum cum *Sigiſmundo à Bononin.loc.cit.* 1.*p.cap.*4.*dub.*29.*num.*2. vota inutilia haberi ac ſi de capitulo non eſſent; vt ſi quis in electione Prælati, vel alterius officialis regularis, ſuffragetur Summo Pontifici, ſiue Epiſcopo, vel Hiſpaniarum Regi &c.dicamus nos, ſi aliqua Monialis in electione Abbatiſſæ ſuffragaretur alicui ſorori non profeſſæ,aut profeſſæ, quæ non haberet ætatem,&c.

Huiuſmodi ergo vota pro non adiectis habentur,nec computari debent in numero vocalium,ac ſi neminem nominaſſent; ſed electio conſurget ex maiori parte eorum, qui pure conſenſerunt; vt ſi v.g. colligium conſtet ex decem ſuffragatoribus, quorum quattuor in aliquem conſenſerunt, tres in alium ſuffragium tulerint,& reliqui tres inutiliter ſuffragati ſint;tũc quattuor gaudens cenſetur electus à maiori parte,cum tres inutiliter ſuffragãtes non ſint computandi in numero eligentium *c.in electionibus de elect. in 6.* Et probatur etiam argumento eius, qui in ſcrutinio per ſchedulam celebrato immiſit ſchedulam albam in vrnam;itẽ eorum, qui exeunt è loco capituli iam ad electionem congregati *C.cur nobis;Vbi Panorm.nu.*11.*de elect.*& bene,& latè tradit; item argumento eius,qui voto ſuo renunciauit,*gloſ.in Clem. quod circa de elect.* quia de his omnibus idem iuris eſt, quod de præfatis inutiliter ſuffragantibus concluſum eſt in præſenti.Sic *Sigiſmundus num.*2 *&* 3.

Qui numeris *ſeq. & dubijs* probat, ſuffragantes inutiliter fieri inhabiles actiue, & paſſiue; licet iſti poſſint variare ante publicationem ſcrutinij,ſi caſſato primo ſcrutinio,celebretur ſecundum. Ignorantiam, & ſimplicitatem excuſare inutiliter ſuffragantes; electores non poſſe variare poſt, ſed ſolum ante publicationem iudicij.

Poteſt quis renunciare ſuffragio, quod habet in electionibus; hoc tamen limitandum eſt, dummodo illa renunciatio ſuffragij non præiudicet bono communi; quando ſc. eo quod ille, vel illi

M 2 non

non dent suffragium eligetur indignus; tunc enim talis renunciãs peccabit mortaliter, & compelli debet vt suffragetur. Sic *ex Sylu. Portel loc. cit. V. electio num.* 5.

Ad suffragia ægrotarum recipienda in hac electione non licet ingredi monasterium. *Congr. Episc.* 21 *Junij* 1595.

Si secuta electione Moniales asserant elegisse in Abbatissam vnam, Superior vero, qui præfuit, dicat aliam, videtur quod nemini standum sit, sed iterum audiendæ sunt Moniales omnes per personam non suspectam, vt obseruatum fuisse per *S. Congregationem* annis elapsis in electione cuiusdam Abbatissæ in ciuitate Lycij testatur *Lauorius loc. cit. Tit.* 4. *cap.* 24. *num.* 56.

Qui etiam *num. seq.* ait, si Moniales non sunt concordes in facienda electione Abbatissæ, assignari ei debere terminum competentem ad concordandum; & si nihilominus in discordia perseuerauerint, Superiorem vnã ex ijs, quæ sibi apta, & idonea videbitur, quæque requisita à *Concil. Trid.* & à iure statuta habeat, deputare posse. Ex *Congreg. Episc. & Regular.* 12. *Octob.* 1592. *Vicario Cremonensi.*

Hic etiam *num.* 46. ex *Nauar.* ponit casum, quod ex sexdecim Monialibus vocem habentibus nouæ sunt suffragatæ vni, septem alteri; Superior volebat, vt duæ partes cõuenirent in vnam, & fecit octies facere electionem, sperans, quod aliqua ex suffragantibus vni alteri accederet, quæ duas partes haberet; & cum noluissent illæ sua suffragia mutare, minatus est eis, quod nisi duæ partes consentirent in vnam, ille esset vocaturus aliam Monialem alterius Monasterij; quo metu compulsæ omnes conuenerunt in vnam tertiam, quæ nullum antea suffragium habuerat; quæ confirmata à Superiore rexit per biennium; quærit ipse *Nauar.* an electæ primo à nouem, quæ maiorem partem faciebãt, sit aliquo ius repetendi Abbatissatum; & respondit, quod Superior peccauit, & electio secunda est nulla, quia facta metu; nec obstat, quod prima electa cesserit iuri suo, quia etiam metu dicitur cessisse, vt aduertit *Rodriq. Tom.* 2 *q.* 54. *art.* 4. Videndus *Nauar. Frideric. Abb.* Citati ab ipso *Lauorio*. Et *Sacra Congregatio* rescripsit *Episcopo Assisien.* 20. *Nouemb.* 1585. Quod Abbatissa eligatur votis duarum

rum ex tribus partibus, factum esse stante sic immemorabili cōsuetudine. Sufficit enim maior pars in electione Abbatissæ, vt probat ex *Miranda Lauorius loc. cit.* Licet *Salodius in sua Praxi de Visitatione par. 4. cap. 5.* pro electione Abbatissæ duas partes suffragiorum requiri, & pro aliarum electione maiorem partem sufficere asserat.

In casu contradictionis Monialium, quæ de iure elegerunt Abbatissam, seu Priorissam, tertiæ partis appellatio cōfirmationem rite electæ à duabus partibus non impedit, *c. idemnitatibus, in 6. § sanè.* Possunt etiam publicato scrutinio, Moniales minoris partis accedere ad electionem maioris partis, quarum vota per talem accessum ad maiorem partem ita cōnumerantur, ac si omnes ab initio in eamdem consensissent.

Electio facta per schedulas cōmuniter ferre nequit de nocte. Bene tamen poterit si fiat cum sufficienti numero candelarum; & vrgente aliqua graui necessitate, vt si iam incepta sit electio, & periculum sit in delatione: *Portel ex Rodriquez, & Nauarro V. electio num. 5.*

In ordine Prædicatorum in omni electione Priorissæ, tenentur vocales, præmissa Sacramentali Confessione, diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum ante huiusmodi electionis celebrationē sumere, sub pœna priuationis vocis. Ex *Capitulo Generali Romano* 1580. *Confirmat.* 14 *Rodericus, & alij citati à Castellino loc. cit. num.* 23. existimant hoc necessarium esse in omni electione.

Salodius loc. cit. testatur, obseruari in Monasterijs Mediolanēsis Diœcesis, quod antequam dies electionis veniat, quotidie pro felici electione per mensem officium de Spiritu sancto in choro dicatur; & singulis festis, & ferijs sextis fiat oratio publica.

Biax in suo direct. de elect. par. 1. c. 24. & p. 3. c. 13. quem sequitur *Rodriq. Tom. 2. q. 52. art. 1.* tenet Missæ auditionem, & Sacram communionem necessario præcedere electionem, & allegat *Cōc. Basil.* de quo dicit haberi *in pragmat. tit. de elect. in §. & cum humanæ.* At quidquid sit de his iuribus, quæ sunt specialia, licèt id nō aduerterit *Rodriq.* certum est, iure communi, ait *Sigismundus loc. cit. p. 1. cap. 19. nu. 5. ex multis Doct.* prædicta non esse de substantia

ſtantia electionis, nec ex eorum omiſſione eam vitiari. Bene verum eſt, ſi omittantur, electores culpa nō vacare grauiori, vel leuiori pro qualitate ſcandali inde inſurgentis.

Ait etiam idem *Sigiſmundus*, honeſtum, ac vtile fore, vt Præſes Capituli legitimato Capitulo, ac alijs de more ſolito habens præmittat abſolutionem generalem ad abundantem cautellam.

Notandum cum *Caſtellino loc.cit.cap.* 17 *num* 21. In electionibus Prioriſſarum, ſiue Abbatiſſarum Monialium, præſuppoſito etiam caſu veræ, & realis diſſenſionis interelectrices, prohibitum eſſe per ſubſequēs *Decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium Conc. Trid. interpretum*, Superioribus, Confeſſoribus, atque ſcrutatoribus quarumcumque Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ne votum emittant in eorumdem Prioriſſarum, & Abbatiſſarum electionibus.

Die 5. *Martij* 1619. *ab ijſdem Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis ſuper negocijs Epiſcoporum, & Regularium deputatis*, fuit reſolutū idem quoad ſubſtantiam, in caſu particulari electionis cuiuſdam Prioriſſę ſequuta ex vi voti vnius ſcrutatatorum in Monaſterio S. Marię de Viſitatione, vulgariter dicto delle Creti, ciuitatis Vicienſis in Apulia. Idem pariter fuit reſolutum per *eamdem Sacram Congregationem*, die, & occaſione, quibus infra immediate.

Die 23. *Maij* 1621.

A gl'Illuſtriſſimi, e Reuerendiſſimi Signori Cardinali della Sagra Congregatione del Concilio, per l'elettione delle Priore, ò Badeſſe de' Monaſterij.

Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Signori.

Si deſidera ſapere dalle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, e Reuerendiſſime, ſe nell'elettione delle Priore, ò Badeſſe de Monaſterij di Monache, maſſime in caſo di diuiſione, tra le Monache, alle quai compete

pete l'eleggere la Priora, ò Badessa, possano i Superiori di quelle, e gli Scrutatori dare il voto loro in simile elettione, pro bono pacis del Monasterio; Et in caso pasi in elettione alcuna di quelle Madri, in virtù delli voti dati dal Superiore, ò Scrutatori; se l'elettione sia buona, e legitima, sì, ò nò. Che il tutto si riceuerà per gratia particolare dalle Signorie Vostre Illustrissime. Quas Deus.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit; Nequaquam licere Monialium Superioribus, aut Scrutatoribus dare votum in electione Abbatissæ; atque electionem in vim huiusmodi voti celebratam vires aliquas non obtinere.

R. Cardinalis Vbaldinus.

Portel tamen *loc. cit.* vult in electione Abbatissæ suffragium dare posse Prælatum Ordinarium præsidem electionis, vt Prouincialis, & similes Superiores; sunt enim caput illius communitatis,& Prælati cum Monialibus faciunt vnum corpus morale ad eligendum.

Probat ex praxi multorum Episcoporum suffragantium in electionibus suarum Abbatissarum, & affirmat se pro certo scire ab Episcopis in Regno Portugalliæ id practicari.

Aduertit tamen ipse *Portel*, quod si Præses electionis est delegatus,vel commissarius,tale suffragium non habet, quia in rigore non est Prælatus ordinarius.

Barbosa item *in Addit ad Allegat.* 100. ex *Piaseg.* & ex Zipæo asserit, decisum, quod, si Moniales essent discordes, posset Episcopus nominare vnam,quam magis idoneam iudicauerit.

Moniales possunt compromittere electionem Abbatissæ, seu Priorissæ etiam in masculum, *capit. causam de elect.* vbi *Panorm. num.* 3. Quæ potestas compromitti etiam potest in confirmatorē, vt ex Abbate asserit *Lauorius loc. cit. tit.* 4. *cap.* 24. *nu.* 19. Qui etiā scribit, quod si Episcopo data sit potestas à Monialibus eligendi Abbatissam, iuxta *dictum cap. causam*, non poterit Episcopus si elegerit malam, aliam eligere, quia functus est officio suo, siue male, siue bene, *cap. in causis, cap. innotuit, de elect glos. in d. c. causam,*

ſam, verb.recipi. Notandum tamen eſt, compromiſſum ſemper fieri debere nemine diſsentiente.

Tandem notandum eſt, poſse Epiſcopum vna cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſsarum, Prioriſsarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorũ quocũmque nomine appellẽtur, electionibus per ſe, vel per alium intereſse, ac preſidere, abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa, vt videre eſt in *Conſtit. Greg. XV. de exemptorum priuilegijs, incip. Inſcrutabili, ſub dat. nonis Februarij* 1622. ſuper qua poſtea *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Conc. Trid. interpretum* cenſuit ius confirmandi Abbatiſsas minime fuiſse Epiſcopis per eiuſmodi Conſtitutionem attributum.

Notandum hic eſt, vocatos ad dirigendas Moniales in ſuis electionibus excommunicari, ſi nõ abſtinent ab ijs, per quæ inter illas poteſt oriri diſcordia, vel ab ijs, per quæ iam orta diſcordia nutritur, *cap idemnitatibus, de elect. in 6.* Nota verbo *vocatos*, vnde non vocati ~~adhoc, etiamſi oppoſitum facerent~~, quidquid ſit de peccato, non incurrent hanc cenſuram.

4 ***Non minor quadraginta annis, & quæ annis octo poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit, Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa eligenda eſt.***

ILLVSTRATIONES.

Sic de iure nouiſſimo *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 7. *de Regular.* Et ſi cum his qualitatibus non reperiatur in Monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſse ſtatuit. Et ſi hoc incommodum Superiori videbitur, ex ijs, quę in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſserint, & quinque ſaltem annis, poſt profeſſionem laudabiliter vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligi poſse præſcribit, *idem Concilium loc. cit.* Ex quo colligitur Concilium non neceſſitare, vt aſsumatur potius extra Monaſterium, quam alia de Monaſterio cum minoribus qualitatibus, cũ vtatur verbo poſſit, non debeat; & tanto magis, quod igneta perſona

sona eligi non debet. *Ioan. Andr. in c. bona num.* 11. *de postul.* Videndum est *Conc. Carthaginen.* 111. *Concil. Agathen. c.* 19. *& c. Sanctimoniales.* 20. *q.* 1.

Oritur dubium, scilicet si duæ aptæ ad dictum officium concurrant, altera quadragenaria, tamen habens quinque annos professionis; altera vero habens illos completos, vel etiam octo, nondum vero attingens quadragesimum annum ætatis, licet excedat trigesimum, quænam earum sit præferenda; & videtur posterior, quia habet aliquo modo completam vtramq; conditionem à Concilio postulatam, priori vero vna cōditio omnino deest. In contrarium autem est, quia Concilium per se primo requirit ætatem quadraginta annorum, quę conditio cōpletur in priori, & nō in posteriori, & aliunde cōditio ætatis magis desideratur; ergo videtur præferenda prior. Sic *Suarez* 4. *de Relig. lib.* 2. *c.* 6. *nu.* 10. Cui tandem videtur negotium arbitrarium, quia reuera se habent tanquam excedens, & excessum, & ideo censet præferendam esse illam, quæ ob alias conditiones dignior reputata fuerit.

Quod si in aliquo Monasterio plures sint Moniales, quę habēt ætatem requisitam, & octo annos professionis, & vna, quæ non habeat dicta requisita, sed aliquem mēsem minus circa ætatem, & professionem, sed Monialibus videatur magis habilis, & idonea pro gubernio Monasterij ceteris habentibus quadraginta annos, & octo professionis, non propterea primis omissis possunt hanc eligere; alias electio esset nulla, & eligentes essent priuatæ iure eligendi, & requireretur dispensatio Romani Pontificis adhoc, vt iterum eligentes eligere possent, & sic electa possit admitti ad nouam electionem, dum caret ætate, prout declarauit *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium in casu contingenti in vna Vlterbien. S. Rosæ sub die* 25. *Martij* 1625 *& S. Congreg. Conc. sub die* 16. *Maij eiusdem anni.* Sic *Lauorius loc. cit. num.* 6.

In ordine Prædicatorum Abbatissæ elegendæ debent habere duodecim annos à professione, secundum statuta dicti ordinis. In ordine minorum per statuta generalia adhoc quattuor anni requiruntur. *Eugenius IV.* decreuit tres annos requiri. Idem statuit *Nicolaus V.* In hoc non dispensat, nisi ille, cui specialiter con-

N cessum

cessum fuerit posse dispensare in Bullis Pontificis. Sic *Portel V. Abbatissa in Addit. nu.* 1. Quomodo vero hi anni intelligendi sint, seu computandi, an sc. requirantur completi, vel sufficiant inchoati, idem *Portel verbo annus nu.* 5. probat, sufficere inchoatos.

Lauorius itẽ *nu. seq.* proponit casum talem, scilicet si in Monasterio non adsit nisi vna Monialis, quæ habeat prædicta requisita Concilij, cum Moniales non possint aliam eligere, quam istã, dicetur ne electio restricta, seu per vim, dum non adest plena libertas requisita in electionibus; & respondet, hanc dici restrictionem, seu prouisionem iuris, non hominis, restrictionem ad qualitates requisitas tamquam substantiales ipsius actus electionis, nõ autem ad personam; ac ideo non dici coarctatam.

Aduertit insuper, professionem requisitam debere esse expressam, nec sufficere tacitam adhoc vt possit eligi; secus vero adhoc vt possit eligere, vti supra etiam nos notauimus. In ordine Prædicatorum Abbatissæ eligendæ debent habere duodecim annos à professione, secundum statuta dicti ordinis. In eodem ordine non habent vocem actiuam Moniales in electione Priorissæ, nisi post annos duodecim à professione, *Romæ* 1601. *& Parisiis* 1611. Sic *Castellinus loc. cit. cap.* 17. *num.* 15. Qui etiam *num.* 8. affirmat, In eadem Religione Dominicana, duas Moniales sorores secundum carnem, non posse sibi inuicem succedere in Prioratu, vel Superioratu immediate, *Romæ* 1580. *ordinat.* 30. Quamuis de iure communi id non inueniatur prohibitum, vt nouissime respondit *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, die* 3. *Aprilis* 1619 *Episcopo Vlysipponen.* Inuenitur prohibitum tamen, tres sorores secundum carnem non posse habere vocem actiuam in eodem Monasterio, vt videre est in facultatibus concessis à Sede Apostolica, vt possit acceptari tertia soror in Monialem.

Quæri hic potest, an votum electi computetur ad constituendam maiorem partem; ad quam quæstionem alij negatiue, alij affirmatiue respõdent, vt videre est apud *Lauorium de elect. canon. tit.* 4. *cap* 6. *num.* 14. *& seq.* Alij denique distinguunt, aut scilicet proceditur per viam scrutinij occulti, & tunc non computatur vox electi; aut proceditur per viam scrutinij aperti, & accessus,

& tunc

& tunc computatur. Ita ex multis Doctoribus Lauorius. Sed hoc non sequitur in electione Summi Pontificis; iam enim decisum est per ***Gregorium XV. in Bulla Aeterni,*** suffragium electi non numerari, siue per scrutinium, siue per accessum, siue per scrutiniũ, & accessum simul fiat electio, nec posse quemquam eligere se ipsum etiam per viam compromissi.

5 ***Nulla mulier corrupta potest eligi in Abbatissam, seu Priorissam, nisi concurrat dispensatio Sedis Apostolicæ.***

ILLVSTRATIONES.

ID prohibetur iure communi, *cap. si quis omnem, §. nouimus, 1. q. 7. c. iuuenculas, 20. q. 1. c. quomodo virginibus, vbi gl. verbo eligatur, 31. q. 1.* Nec Episcopus potest cum huiusmodi corrupta dispensare, quidquid dicat *Anchar. in c. idemnitatibus*; & declarauit *Sacra Congreg. Reg. 29. Ianuarij* 1585. Adest *Decis. Capellæ Tholos.* 296. Qua deciditur, non posse corruptã esse Abbatissam, *ex Io. Andr. in Clem. attendentes, verb. rationabilis, de stat. regul. Portel* vero *verb. Abbatissa contrarium probare nititur multis rationibus allatis pro sua sententia.*

Sanchez Tom. 2. in præcep. Decal. lib. 5. cap. 5. num. 22. Existimat, ad Abbatissæ munus nõ desiderari virginitatem, nisi vbi mos esset impertiendi Abbatissis benedictionem specialem virginum propriam, seu consecrationem. Bigamam Monialem etiam eligi non posse in Abbatissam asserunt, Doct. Vide *Sanchez nu. seq.* qui obseruat, dici etiam bigamam quoad hunc effectum, quæ post castitatis votum, sed solemne, præuaricata est. Sicut nec infamis nequit esse Abbatissa, siue infamia sit iuris, siue facti.

Quod si corruptio superueniat, postquam Abbatissa est electa, si probetur debet deponi, vt fuit decisum *in decis. 9. corã Crescentio, ad not. per Abb. & Felyn. in cap. at si clerici, de iudic.* quia si debet talis corrupta in ergastulo includi, & à cętu Monasteriorum, & Ecclesiarum conuentibus eliminari, *ex cap. impudicas, & c. peruenit, 27. q. 1.* quomodo posset alijs præcesse, & administrare?

6 *Illegitime nata non potest eligi in Abbatissam, seu Priorissam.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Castellinus loc. cit. cap.* 17. *num.* 6. Qui etiam affirmat esse communem Doctorum opinionem, posse talem dispensari per Episcopum, siue alios Superiores, quorum regimini subsunt Monasteria. Idem ex *Miranda*, & *Rodriquez* sustinet *Portel verbo Abbatissa num.* 6. Alij vero asserunt, vitium ex natalium defectu consurgens purgari in Monialibus per professionē, vt videre licet apud *Sanchez in precept. Decalogi Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 18. qui *num. seq.* dicit, se non audere discedere à frequentissima omniū sententia, qui dicunt illegitimam non posse absque dispensatione esse Abbatissam, seu Priorissam. Eamdem sententiam videtur approbare *Suarez* 5. *Tom. in* 3. *p. disput.* 50. *sect.* 5. *num.* 15. vbi dicens per professionem non auferri vitium hoc illegitimitatis, vt quis possit esse Prælatus, ait Doctores hoc extendere ad feminas; & id non improbat. Et *Lauorius loc. cit. num.* 38. Ex *declaratione Congregationis*, Moniales ex illegitimo thoro procreatas *Constitutione Fel. rec. Sixti V. contra Regulares illegitimos* edita nō comprehendi asserit, quominus ad officium, vel dignitatem Abbatissæ, seu Priorissæ aliave Monastica munera eligi possint, vt *in vna Corduben. anno* 1592. Licet addat, obstare ius Canonicum *in c.* 1. *de fil. presbyt.*

Ad dispensandum cum illegitima, requiritur quod ipsa explicet qualitatem illegitimatis, si videlicet sit spuria, si naturalis, si sacrilega, si incestuosa, si adulterina &c. possunt enim hæ qualitates cum aliquibus circumstantijs maxime duplicatis mouere, aut deterrere ad dispensandum, sic *Portel* ex *Miranda verbo Illegitimus num.* 11.

Monialis, quę postquam Religionē est professa legitimata est per subsequēs matrimonium, non indiget dispensatione adhoc, vt possit in Abbatissam eligi; dummodo parentes tempore conceptionis, seu saltem tempore natiuitatis inter se matrimonium

con-

contrahere possent. *Sigismundus loc.cit.par.2.dub.73. & 74. Congreg.Ep.*1592. statuit, illegitimo thoro natam non excludi, quominus Abbatissa possit eligi.

Ambitio tamquam pestis electionum, fuit ita Sacris Canonibus exosa, vt per *c.cum post petitam de elect. cassanda*, etiam annullāda sit electio illius, qui etiam requisitus, antequam esset electus consentit electioni de se faciēdę, ita notauit *Miranda in Man. Præl. par.2.q.23.art.30. concl.1. & Petr.de Greg.tr.de elect. cap.9. num.6.*

Subornatio igitur vitiat electionem, quæ aliquando fit verbis, aliquando vero fit muneribus, id est, quando dantur munera electoribus, vt eorum beneuolētia, & gratia aucupetur ad effectum consequendi ipsorum suffragia. Non tamen prohibetur tractatus in electione, quia, vt scribit *Sigismundus loc.cit. dub.55. num.6.* Tractatus ipse est vnum de substantialibus electionis. Quod sic probat, nam certum est, teneri eligentes eligere digniorem, & semper dimittere indignum de iure diuino, naturali, & positiuo; & per consequens sub pæna lethalis culpæ deuinciuntur ad notitiam morum, & virtutum eligendorum. Sed hoc vix atque adeo impossibile est fieri posse, moraliter loquendo absque eo, quod electores colloquantur, vel tractent inter se aliquando qui nam sint digni munere, de quo agitur, vel quis dignior alio, cum multos suffragatores sæpe sæpius lateant vitia, vel virtutes eligendorum. Ergo demandata electione dignioris, & exclusione indigni, demandatur etiam tractatus, per quem deuenitur ad hūc finem. Ergo tractatus est vnum de substantialibus electionis. Sic argumentatur *Sigismundus par.2.dub.55.num.6.* Ideo *Greg XV. in sua Constitutione de electione Rom. Pont.* postquam fere omnes casus enumerauit, ac eos districte inhibuit, subdit, *Tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus.* Sed notandum est, quod licet tractatus de eligenda persona sit semper concessus, attamen conuentio de tali eligendo est illicita. *Imol.in cap.bonæ 2 num.5. vbi quoque Card.quæst.6.de elect.* Et firmauit *Rota decis.516.coram Card.Seraph.*

In *Capitulo Valentino* 1596. *Ordinatione* 12. ita disponitur in

ordine

ordine Prædicatorum; *Ordinamus, & sub pœna grauioris culpæ mandamus, tam fratribus, quam sororibus in aliqua electione vocem habentibus, ne de illa ante diem vnam naturalem loqui, siue tractare possint.* Reliquis vero in ipsa vocem non habentibus, siue conuersi, aut conuersæ, siue clerici, aut velatæ sint, respectiue, ne verbo, aut scripto, per se, vel per alios, quoquomodo se intromittere audeant. Prælatis autem in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub pæna absolutionis à suis officijs iniungimus, vt prætaxatam penam contra facientibus infligere debeant. Licet igitur per modum consultationis tractatum habere de aliquo eligendo, & id etiam viuente Prælato, cum electoribus, & cum alijs etiam, vt sciri possit, an talis sit dignus, dummodo hoc non efficiatur ex consensu, seu opera ipsius eligendi, sed sponte ab electoribus propter illius merita; nam si talis tractatus efficeretur per seipsum, vel per alios, esset tractatus ambitiosus, & ideo prohibitus, vt pactionalis, cōuentionalis, cōditionalis, &c. Sic è *Molfesio Diana loc. cit. lib. 2. Miscell. Resol.* 37. Subiungens, hoc esse valde notandum contra eos, qui etiam procurare solent, vt eligantur ab alijs, nam nullæ sunt postea electiones.

Perpetua prohibitione damnantur insuper electiones omnes per sortes habitæ, vt plurimis relatis probat ipse *Sigismundus loc. cit. par.* 1. *dub.* 27. *nu.* 1. Neque obstat communis obiectio S. Matthiæ Apostoli, nam respondetur, illud fuisse priuilegium, atque inspirationem Dei peculiarem; vel dicendum, sine vllo priuilegio Apostolos in ea electione vti voluisse sortibus, quod Matthias, & Barsabas adeo essent pares sanctitate, & doctrina, vt humano iudicio discerni non posset vter præponendus esset. In huiusmodi namque casibus licitus est vsus sortium, seclusa prohibitione positiua, vt docet *D. August. lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 28. *& in Epist.* 180. *ad Honoratum.*

Sortes vero non prohibentur, etiam in electionibus Ecclesiasticis, si priuilegium cōcurrat Apostolicum, vt legitur de electione Discretorum, seu sociorum Prælati apud *Congregationem S. Bernardi in Italia, Monachorum Ordinis Cisterciensis, Canonicorum Regularium S. Saluatoris,* & aliorum, de quibus *Sigism. & Mirand.*

citati

citati à Lauorio loc.cit. Tit.4.cap.20.nu.39. qui *num.seq.* quærens, an si electiones per sortes fiant, an sint ipso iure nullæ, vel veniant annullandæ, concludit, esse ipso iure nullas, siue seruanda esset forma *c.quia propter*, siue non.

Tandem notandum est, electorem, qui præsens est in ciuitate, vel oppido, aut cænobio, in quo celebratur electio, sed ægrotat, & decumbit in lecto; pro præsenti haberi debere, & ad eum accedere teneri scrutatores pro suscipiendo eius suffragio; qui poterit, sicut & alij, si vult, libere renunciare; & facta per ipsum renunciatione spontanea, nõ potest impugnare, quod fuit legitime expletum per alios vocales. Si tamen accidat casus, quod intersit electionis iam inceptæ, sed non completæ totaliter, admittendus est, etiam post renunciationem, ad ea, quæ remanent facienda circa eamdem electionem, vt probat *Castellinus loc. cit. capit.8. num.9.*

Absens potest constituere procuratorem, vel cum generali mandato de eligendo, vel cum speciali de eligenda certa persona; & tunc potest vnum suo nomine, alium nomine mandantis eligere. Sed *Sacra Congregatio Card. S. Conc. Trid. interpretum super cap.6.sess.25. de Regular.* censuit, non posse constitui procuratorem cum tali speciali mandato, prout refert *Gars. tract. de Benefic.p.5.c.4.nu.*200. his verbis. Procuratores legitime constituti cum generali mandato ad eligendum ab ijs, qui legitime impediti sunt non excluduntur, dummodo non habeant speciale mandatum de eligenda certa persona, quia tunc votum non posset esse secretum, prout in hoc decreto.

Si vero procurator est institutus cum mandato generali, & libero, non potest in ferendis suffragijs vnum nomine suo, & alterum nomine mandãtis eligere, & ratio est, quia eadem conscientia debet eligere nomine domini sui, qua elegit nomine proprio. *cap.si quis visto, §.porrò, de elect.in 6.cap.constitutus, de appell. Lancell. §.& si tantum, tit.de elect.vbi glos.ver.nihil agit, per cap.sicut non suo, 6.dist. Goffred. & Hostien.in c.quia propter de elect.* Attamen si merita duorum, vel trium ita essent æqualia, vt ab electoribus discerni non possint, quis eorum melior, & magis idoneus

ceteris

ceteris esset, aliqui putant posse procuratorem vnum nomine suo, & alium nomine mandantis ex illis eligere, vt notat *Molin. de primogen.lib.2.cap.5.num.52. & seq.Gutier.c.11.num.9. quæst. canonic.Fr.Sigismundus dub.14.num.8.*

Procuratoris potestas, siue sit constitutus ad certam, siue ad incertam personam eligendam, expirat mortuo mandante ciuiliter, vel naturaliter tempore electionis faciendæ, *Clem.fin.de procurat. Rot.decis.376.fuit dubitatum,in nouis.* Sed si procurator cõstitutus ad eligẽdum eligat tempore, quo iam erat mortuus dominus constituens, sed mors illius in Capitulo ignoratur, valet electio. *Ioan.Andr.& Innoc.in cap.quia propter, de elect. Franc.in cap.si quis iusto, eod.in 6.*

Demum supradicta omnia tam de vocandis absentibus, quã de constituendo procuratore intelligenda sunt, nisi adsit statutũ, consuetudo,vel priuilegium in contrarium;sicut re vera in ordine Prædicatorum non admitti, testantur *Tabien. & Syluest.vers. electio, & Castell.loc.cit.cap.5.nu.96.* & in ordine Capuccinorum *Fr.Sigism. dub.14 nu.11.* In hac re extat *Magistralis Decisio Rotæ coram Vbaldo in Calaguritana de Morillo* 13 *Nouemb.* 1620.

Naldus in suis Annot.pract p.35. & seq. docet, quomodo excipiendum sit votum electoris tempore electionis in lecto decumbentis, sc.permissionem scrutatorum, qui schedulas eligentium complicatas,atque inuolutas ad Pręsidem Capituli deferat.Nec obstat, eligentium nomina debere semper esse secreta ex *Concil. Trid.loc.cit.*quia respondetur, in hoc casu numquam eligentium nomina publicari; cum scrutatores ea recipiant in vrnam iniecta per ipsos eligentes obsignata; & inuoluta. Sic Monialis in lecto decumbens tempore electionis eligit, vt scribit idem *Naldus in Indice.*

7 *Officium Priorissæ non potest pro trahi vltra triennium,sed illico censetur absoluta ab officio, elapso triennio.*

ILLVSTRATIONES.

GReg.XIII. *in Bulla,* quæ incipit, *Exposcit debitum,data die* 1. *Ianuarij* 1583. Neque ad idem officium potest eligi nisi

post

post triennium, & hoc est commune ad omnes, & quascumque personas; seu Moniales quorumcumq; Ordinum intra Italiam.

Supradicta *Bulla* comprehendit Monasteria Italiæ tantum. Et *Quaranta ver. Abbatissa*, animaduertit, quod hæc *Bulla* ex declaratione *Nauar.* non includit eas Moniales, quæ vere non sunt professæ regulam à Sancta Sede Apostolica approbatam.

Idem statuit *Sixtus V.* 1587. de triennio Abbatissarum, & Priorissarum Sanctæ Claræ, cuius Bullæ mentionem facit *Portel in suis dubijs Regularibus tit. Abbatissa, & Priorissa num.* 4. addens, quod in Portugallia Abbatissæ Ordinis S. Claræ, præsertim in Prouincia Algarbiorum, debent vacare per sex annos in eodem Monasterio, ex speciali *Bulla Pauli V.* Quam asserit se vidisse, ac legisse; non tamen dicit annum, quo concessa fuit, neque refert exordium.

In ordine Prædicatorum ex dispositione *Bullæ Iunij 11.* nequeunt Priorissæ perseuerare in suo officio vltra biennium. Debent quoque vacare ad minus per quattuor annos, antequam reeligi possint in eodem Monasterio, nisi esset Monasterium nouũ, vel nouiter reformatum, quo casu possunt iterum eligi. *Castellinus loc. cit. cap.* 17. *num.* 10. *& seq.* Huic statuto standum est, nam Bulla supradicta Gregorij non aufert dispositionem strictionis, sed laxioris statuti.

In eodem ordine Predicatorum duæ Moniales sorores secundum carnem, non possunt sibi inuicem succedere in Prioratu, vel Supprioratu immediate, *Romæ* 1580. *ordinat.* 30. Quamquis de iure cõmuni id non inueniatur prohibitum, vt nouissime respondit *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, die* 3. *Aprilis* 1619. *Episcopo Vlyssiponen. Castellinus num.* 8.

In multis ordinibus Monialium idem præscribitur, vt testatur *Salodius in sua Praxi de visitatione* 4. *cap.* 5. de duabus sororibus germanis, ne videlicet quando vna est Abbatissa, altera sit Priorissa, Discreta, vel Ianitrix, vel scriba, vel Celaria.

AL CARDINAL VENDRAMINO.

Illustris.& Reuerendiss.Sig.mio Osseruandiss.

E Decreto antico, e più volte rinouato da questa Sacra Congregatione, che in vno stesso Monasterio non possano essere ammesse più di due sorelle all'habito Monastico; e quando per gratia speciale della medesima Sacra Congregatione si concede tal hora di Monacare la terza, ciò si fa con espressa conditione, che resti priua di voto attiuo, & passiuo sino alla morte d'vna delle due prime; di maniera che non siano più de due sorelle col voto. Ben è vero, che quando il Monasterio è numeroso, come sarebbe di 100. *Monache in circa, hanno questi Illustrissimi miei Signori hauuto riguardo, che anco viuente le due prime sorelle, la terza similmente goda il soddetto voto attiuo, & passiuo; ma simil gratia non se l'è mai conceduta nel primo ingresso; aggiungendo, che quando la terza sorella si admette, paga la dote duplicata, s'è dentro, e la triplicata, s'è sopra il numero; Il che hanno voluto questi Illustrissimi miei Signori, ch'io significhi à V. S. Illustrissima, affinche si contenti di far osseruare il sodetto Decreto in cotesta sua Città, e Diocese. E libacio humilmente le mani.*

Di Roma li 15. *Febraro* 1619.

Di V.S.Illustrissima,& Reuerendissima.

Humilissimo Seruitor.

Il Cardinal Gallo.

AN vero magis conueniens esset, quod Abbatisse essent perpetuæ, quam temporales, legatur *Rodericus Tom.* 1. *quast. Reg. in quast.* 16. *art.* 1. Qui cum *Nauar.* tandem concludit, electiones perpetuas quieti Christianæ commodiores esse. Quod autem Sedes Apostolica, vti vidimus, noluerit esse perpetuas, sed temporales, id factum est iustis de causis. Precibus enim ipsorum Reli-

Religiosorum Sedes Apostolica inclinata,& videns Prelatos superiores esse dominantes in fratres, & eis imperare cum austeritate, & propter eorum magnam potentiam, & valorem minime posse per visitatores reformari, & in corda antiquorum Patrum conuerti,ordinauit, vt Generales, & Abbates,& Abbatissæ minime essent perpetui, sed temporales.

Idem *Roder.art.*4.ait, *Bullas Gregorij XIII. & Sixti V.* definiẽtes Abbatissas debere esse triennales,& non perpetuas,explicandas esse non de Abbatissis creatis per præsentationem,& institutionem.

De Confessarijs Monialium. Cap.

1 Confessionem, tam ordinarij, quam extraordinarij ad confessionem Monialium, etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valent, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem obtineant.

ILLVSTRATIONES.

SIc nouissime *Greg.XV. In sua Constitutione de exemptorum priuilegijs, quæ incipit Inscrutabili, sub Dat. Non. Februar.* 1622. Vbi etiam habetur, quod liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi cõfessores amoueant, ijsque superioribus id facere detrectantibus,aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos confessores amouendi,quoties, & quando opus esse iudicauerit.

Postmodum *Sacra Congregatio Eminentissimorum Card. Concil. Trid. interpretum* super prædicta *Const.* inter alia censuit, Confessores extraordinarios Monialium nullatenus posse post *d.Cõst.* illarum confessionem audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbentur; ordinarios vero confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse durante triẽnio ab eorum deputatione inchoando pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine,& approbatione Episcopi;quod si contingat,vt eorum facultas à Sede Aposto-

lica vltra triennium pronogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Censuit pariter *eadem Sacra Congreg.* Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Const. publicationem, quibus alioquin facultas competebat audiendi confessiones Monialium sibi subiectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quę sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus expleto iam tẽpore à Constitutionibus cuiusque ordinis, vel alius legitime prefinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Regularem generaliter ab Episcopo approbatos ad cõfessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectorum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Regulares ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij.

Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Episcopum, cui licet ex rationabili causa iuxta dictam Constit. Superiores Regulares admonere, vt amoueant confessores Monialium, atq; administratores bonorum ad earumdem Monialium pertinentium, non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentię Episcoporum, quorum conscientias *Sacra Congreg.* Serio onerauit. Sic *Barbosa in Addit. ad Alleg.* 35.

AL-

ALL' ILLVSRISSIMO ET REVERENDISSIMO Sig. mio Osseruandiss. Il Sig. Cardinal Vendramino, Patriarca di Venetia.

Illustrissimo, & Reuerendiss. Sig. mio Osseruandiss.

DA che per i decreti generali di questa Sacra Congregatione viene prohibito à gli ordinarij il valersi dell'opera di Regolari per confessori de Monasterij de Monache, soggette alla cura, & giurisdittione de' medesimi ordinarij; e che nondimeno alcuni Frati di S. Dominico, e d'altre Religioni, come s'è inteso, sono stati deputati da V.S. Illustrissima, ò dal Vicario suo per confessori delle Monache sottoposte alla cura sua; mi hanno ordinato questi Illustrissimi miei Signori di scriuerle, che sia contenta di leuare i sodetti Frati da simil carico, e di prouedere alle medesime Monache d'altri confessori, quali siano Sacerdoti secolari di vita esemplare, & sopra anni 40. e d'astenersi per l'auuenire da seruirsi più dell'opera de' Regolari per simil carico senza special licenza di questa Sacra Congregatione. Et io in tanto le bacio humilmente le mani.

Di Roma adi 12 di Maggio 1617.

In V.S. Illustrissima, & Reuerendissima.

Humilissimo Seruitor.

Il Cardinal Gallo.

AL

AL PATRIARCA DI VENETIA.

Molto Illustre, & Reuerendissimo Signor come fratello. Stante la penuria, ch'è in cotesta Città di Sacerdoti secolari ad essercitare il carico di confessori di Monache sottoposte alla cura, & gouerno di V. S: come per parte di lei è stato rapresentato alla Sacra Congregatione, si contentano questi Illustrissimi miei Signori ch'essa possi valersi à questo effetto dell'opera de' Regolari; non ostante li decreti della medesima Sacra Congregatione, che prohibiscono a' Vesconi il seruirsi di confessori regolari per le confessioni delle Monache soggette all'ordinario; mentre però ella facci prouisione di Padri qualificati; & esemplari, di età sopra 45. anni, & atti à dare sodisfattione, e consolare le Monache ne i loro bisogni spirituali, e pur che i medesimi regolari non continuino simil carico oltre il triennio, Dio la preserui. Di Roma li 7. Giugno 1620.

Come Fratello Affettionatissimo.

Il Cardinal Sauli.

EXtant etiam Litteræ de hoc particulari eiusdem Sacræ Congreg. ad Eminentissimum & Reuerendissimum Des. Cardinalem Cornelium Patriarcham.

Apponam hic, quæ de Plebanis proprias Ecclesias deserentibus, & confessionem Monialium retinentibus decreuerit Sacra Congregatio.

AE.

AL PATRIARCA DI VENETIA.

Molto Illustre & Reuerendissimo si come fratello. Sono informati questi Signori miei Illustrissimi, che alcuni curati di cotesta Città lasciata la propria residenza, si trouano occupati, anco fuori della Diocese, seruendo per confessori di Monache, non senza incommodo, & scandalo de i proprij Parochiani; & conuenendo che V.S. per debito dell'officio suo proueda efficacemente, che i detti habbino per ogni modo da ritornare alle Chiese loro; di ordine delle SS. loro Illustrissime gli significo tutto ciò, affinche si risolua di prouedere contra questi curati, riuocandoli qualsiuoglia licenza, che sopra ciò hauessero ottenuto, & con auertirla, che quanto più tarderà, tanto più verrà ad aggrauare la propria coscienza, ne occorrendo altro, prego il Signor che la prosperi.

Di Roma li 17. Marzo 1592.

Di V.S. Molto Illustre, & Reuerendissima.

Come Fratello Affettionatissimo.

Il Cardinal de Senis.

AL PATRIARCA DI VENETIA.

Molto Illustre & Reuerendissimo Signor come fratello. Li Piouani di cotesta Città hanno supplicato se li conceda di poter, come per il passato attendere alla cura de Monasterij di Monache, massime doue possono farlo senza pregiuditio dell'anime & delle loro Parochiali; confidando questi miei Signori Illustrissimi della prudenza, di Vostra Sign. non hanno voluto in ciò risoluere altro, eccetto che io li faccia sapere, come si rimette il tutto al suo arbitrio, poiche non si può dare in questo regola generale, seruali per auiso, & il Signor Dio la prosperi.

Di Roma li 22. di Febraro 1593.

Sic

Sic statuit in prima Synodo Veneta Patriarca Priolus, Decernimus, vt in futurum aliquis Plebanus confessiones Monialium extra ciuitatem Venetiarum omnino retinere non possit, & qui eas in præsentiarum retinent, infra duos menses relinquere teneantur, nec postea pro dictis confessionibus audiendis ad dictarum Monialium Monasteria accedere possint sub pæna suspensionis ipso facto incurrẽda, & scutorum centum Seminario Patriarchali applicãdorum. In ciuitate vero Venetiarum Plebani similiter confessiones Monialium in futurum obtinere non possint, & quas nunc habent vltra duos prædictos menses non retineant sub eiusdem pænis. Quod si Monialium Monasterium sit ita contiguum Parochiæ confessoris, vel numerus Monialium, & Parochianorum tam paruus, vt ipse arbitrio nostro vtrique officio commode satisfacere valeat, tunc licentiam à nobis impetrare procuret. Quæ omnia pro debita exequutione litterarum Illustriss. D. Cardinalis Senonen. nomine Sacræ Congregationis super consultationibus Episcoporum promulgamus, & publicamus.

Habentes curam animarum munere confessarij ordinarij modo omnino fungi non possunt, vt ex *Congreg. Epis.* 10. *April.* 1615. testatur *Gauantus loc. cit.* & sic nouissime decreuit Eminentissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Patriarcha.

2 *Moniales non possunt confiteri cuiuis confessori, etiam Religioso, extra confessorem assignatum illis à Prælato, nec virtute Bullæ Cruciatæ, vel cuiusuis alterius Bullæ particularis concedentis, vt possit eligi confessor quicumque approbatus.*

ILLVSTRATIONES.

SIc expresse prohibuisse *Clementem VIII. Motu proprio* testatur *ex Rodriq. Portel. V. Monialis nu.* 10. Extenditurq; ibi ad omnes Religiosos, & omnes Moniales; & idem antea fuerat declaratum à Cardin. missumque Archiepiscopo Valentiæ, vt refert *Rodriquez* in explicatione Bullæ Cruciatæ. Et confessio alias facta est nulla.

Idem continetur in *nostra Veneta Diœcesana Synodo cap.* 45. *de Regu-*

Regularibus ibi, *Declaramus præterea per quamcumque Regularium, & sacularium Sacerdotum approbationem pro audiendis confessionibus per nos factam, nullam alicui tribuere facultatem Monialium nobis subiectarum confessionem audiendi, nec vigore quorumcumque priuilegiorum id munus, quo ad Moniales explere posse, nisi à nobis specialem licentiam, obtinuerit; quod etiam tempore amplissimi Iubilei obseruandam est, prout à Sacra Cardinalium Congregatione super regularibus fuit demandatum, pæna carceris, & alijs arbitrarijs propositis.*

3 *Confessori Monialium non possunt durare in officio vltra triennium.*

ILLVSTRATIONES.

SIc *Portel vbi supra num.* 13. *de confessoribus Monialium S. Claræ ex Iulio II.* Idem statuit de omnibus Monialibus indifferenter, *Sacra Congregatio* vt est videre *in Decretis Synodi Diœcesana Florentina Tit.* 14. *cap.* 6. §. 13. *De confessarijs Monialium*. Vbi etiam dictis confessarijs prohibetur, ne vllo pacto post finitum triennium, onus procuratoris illius Monasterij, à quo discedunt, suscipiant. Quod ad ætatem postea spectat, ex *Sacra Congreg.* Constat, Moniali[ū] confessarios debere 45. annos natos esse.

4 *Confessores extraordinarij bis, vel ter singulis annis Monialibus assignandi.*

ILLVSTRATIONES.

COnc. *Trid. sess.* 25. *cap.* 10. Sed notandum tamen, Monialem, quod noluerit illi extraordinario confiteri, posse confiteri cum suo antiquo ordinario, exhibitio enim illius extraordinarij est fauor, cui potest renuntiare. Et ipsum Concilium ait, quod offerat talem extraordinarium; non vero ait, quod cum mandato cogat. Et sic non faciet prudenter Prouinciales, qui præcepto

cogat omnes Moniales confiteri illi extraordinario. Si vero cogat, dicens, quod proprio confessori tunc non confiteantur, tenebit mandatum, & non tenebit confessio nisi cum extraordinario. *Portel vbi supra num.* 14.

Hi confessarij extraordinarij deputari debent in communi, nõ in particulari pro hac, vel illa. *Congreg. Episc.* 15. *Febr.* 1593.

Libet hic apponere quæ circa id decernit *d. Synodus Florentina, loc. cit.* §. 7. *in hunc modum. Vt Tridentini Sanctissimi decreto satisfiat, & libertati confitendi admissa crimina faueamus, præcipimus omnibus Abbatissis, Priorissis, & alijs Monasteriorum Præfectis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pæna excommunicationis latæ sententiæ, vt ter in anno licet irrequisitis, vel etiam repugnantibus confessarijs ordinarijs, seu gubernatoribus, aut etiam omnibus, vel maiori parte Monialium, tempestiue Illustriss. ac Reuerendiss. Præsulem moneant, seu generalem eius Vicarium de confessario extraordinario mittendo, nec à cæptis desistant, donec voti compotes fiant; coram quo, omnes omnino, quæ in lecto causa vera infirmitatis minime detinentur comparere volumus, sub pæna amissionis vocis actiuæ, & passiuæ per triennium ipso facto incurrenda. Eo vero tempore, quo confessarius extraordinarius aderit, quam rarissime confessarij ordinarij accedant ad alloquendas Moniales, vel eorum confessiones audiendas; ij vero, qui ausu temerario impedire directe præsumpserint hanc confessarij extraordinarij petitionem, electionem, concessionem, vel accessum ad Monasteria, ad excipiendas confessiones, ipso facto excommunicati sint; insuper confessarij ordinarij Monasteriorum, ab eorum confessionibus audiendis se perpetuo suspendendos intelligant, si quocumque tempore, vel modo significauerint Monialibus, displicere sibi confessarij extra ordinarij aduentum, vel non liberè, & integre, sed perfunctorie tantum, & per transennam eidem esse confitendum in aures Monialium, vel aliorum insusurare tentauerint.*

Monialibus, etiam exemptis, dandus est per Episcopum loci confessarius extraordinarius *Naldus In suis quæst. pract. V. Monialis num.* 2. *ex Sacra Congregatione. Zypæus* tamen *in suo Iure Pontificio nouo lib.* 3. *num.* 32. ex eadem Congregatione & ipse censet, si Monasterium sit exemptũ à iurisdictione Ordinarij, & Regula-

ribus

ribus subiectum, extraordinarium huiusmodi confessorem esse offerendum ab ijsdem Superioribus Regularibus; sic enim responsum fuit ab eadem Congregatione ad postulationem Episcopi Antuerp. anno 1609. Quamuis *Synodus Audorrarens. ann.* 1583. *tit.* 17 *cap.* 11. videatur censisse id ad ordinarium spectare; sed magis placet sententia *Congreg.* quia *Concil.* non delegat diserte Episcopo in exemptas aliquam iurisdictionem. Ideo copula, *&*, in *tot. d. cap.* 10. sumenda est respectiue quoad Episcoporum, & aliorum Superiorum subditas, alioquin deberent procedere simul, & coniunctim. Quod si Monialis non potest induci, vt suis Regularibus confiteatur, poterit Episcopus ei dare ex alia Religione, vel sæcularem, vt volet, etiam ordinarium. Sic *Zypaus* ex Congregatione Concilij. Sed supra vidimus quid circa confessores, Monialium tam ordinarios, quam extraordinarios nouissime decreuerit Sacra Congregatio.

Monialibus Sanctæ Claræ facta est concessio, vt quattuor diebus in anno absolui possint ab omnibus casibus, & peccatis plenarie, nullo casu excepto sicut si ipse Papa audiret confessiones. Sicut *Portel loc. cit. V. confessor erga Fratres. num.* 15. *ex Rodriquez*. Sed circa id ponderanda est Declaratio *Decreti Clementis VIII.* quo prohibetur absolutio à casibus reseruatis, &c. Potest confessor item eis benedictionem Papalem largiri ex *Leone X. Hieronymus Rodericus in Compendio quæst. Regularium Emanuelis Roderici. V. Moniales num* 16.

Qui *num. seq.* dicit etiam, Nouitias, & seruitrices Monialium posse absolui sicut absoluuntur ipse Moniales, & Fratres. Aduertit tamen, quod seruitrices vt possint absolui à Prælatis, & confessoribus ordinis, oportet, vt sint eiusdem Regulæ professæ intra clausuram in Monialium seruitio actualiter degentes, vt in simili diffinitur in *Trid. Concil.* de seruitoribus Regularium. Nisi sint de seruitricibus professis, vel non professis (quæ conuersæ, vel oblatæ vocantur) sub obedientia Superiorum ordinis degentibus extra clausura in domibus contiguis Monasterij, quæ extra clausuram degere pro colligendis eleemosynis permisit *Pius V.* apud *Bullarium*, ne passim septa Monasterij ingrediantur, &

P 2 egre-

egrediantur contra ipsius *Concilij decretum*, quapropter non sunt priuandæ exemptionibus, & immunitatibus concessis seruitricibus intra clausuram degentibus.

Idem *Hieronymus V. De absolutionem plenaria fratrum Resol. 3. num.* 32. Scribit dies, in quibus possunt absolui fratres Minores, & Moniales S. Claræ, esse Festa Domini Sabbaoth, & Dominæ nostræ; omniumque Sanctorum, ac Apostolorum Petri & Pauli, S. P. Francisci, S. Claræ, S. Catherinæ Martyris, & per totam maiorem Hebdomadam. Sed aduertant communicantes in dictus priuilegijs Minorum, quod non sunt plenarie absoluendi in diebus festis S. Francisci, & S. Claræ, sed loco eorum possunt absolui in festis suorum Patronorũ, vt v.g. Prædicatores in festis S. Dominici, & S. Catherinæ Senensis, & Augustinienses in festis S. Augustini, & S. Monicæ.

An vero Moniales, quæ non sunt sub cura Regularium, sed viuunt sub Episcoporum obedientia, gaudeant supradictis priuilegijs, puto eas dubio procul gaudere; non enim putandum est, Pontificem, qui eas à iurisdictione Regularium exemit, intẽdisse istas gratijs concessis in gratiam Religionum spoliare. Hoc enim pacto istæ Moniales modo essent peioris conditionis, quam antea. Et patet, priuilegium de nouo concessum non tollere alia priuilegia antea concessa, nisi in concessione noui fieret veterum expressa abrogatio. Sunt tamen qui asserant, Moniales tantum gaudere priuilegijs Religionis, quam profitentur, cum commissæ sunt gubernationi ipsorum Regularium.

Naldus loc. cit. numero 9. asserit, Moniales, etiam ob enormen excessum, ab Episcopo absolui debere, quia extra claustrũ exire non possunt. Et Episcopus etiam in exemptas Papæ auctoritate fungitur; & licet habeant Generalem, tamen ob reuerentiam ordinis Episcopalis, hoc Episcopis indultam est. *Ex Decis. Rotæ Rom.* 25 *de sentent. excomm. in antiquis.*

Episcopi namque absoluere possint extra mortis articulum impeditos à quibuscumque casibus, & censuris Apostolicæ Sedi reseruatis; etiam à crimine hæresis, & à censura contracta ob tale crimen. Etenim ratio illa generalis, ne scilicet reseruatio,

quæ

quæ pro bono charitatis est adiuenta, contra charitatem vergat, & in periculum animarum, militat etiam in casu hæresis. Sic *Duardus in Bul. Cœnæ Domini lib. 3. in §. 2. q. 8. conclus. 3. num. 45.* Qui *num.* 40. ampliat supradictam conclusionem, vt non solum Episcopi de iure antiquo, sed etiam de iure nouo, non obstante decreto Clem. VIII. possint absoluere impeditos, extra mortis articulum ab omnibus casibus, & censuris in Bulla, & in d. decreto, eius denique moderatione, & innouatione, & quocumque modo Apostolicæ Sedi reseruatis. Eamdem facultatem Capitulo Sede vacante, Abbatibus, & alijs Prælatis habentibus Diœcesem, & iurisdictionem quasi Episcopalem concedit.

Si autem ab huiusmodi censuris non possent impediti absolui per alium, quam per Romanum Pontificem, profecto ad impossibile obligarentur contra *text. in l. impossibilium, ff. de regul. iur.* Nam quonam pacto senio confecti, infirmi, & alij similes, qui ad labores itineris sunt penitus inutiles, & multo magis Moniales, quibus imperata est perpetua clausura, Romanam Sedem adire poterunt? Ne igitur pia Mater Ecclesia videatur fideles ad impossibile obligare, dicendum est, quod sicut cōcessit, vt in articulo mortis constituti per alium, quam per Romanum Pontificem possint absolui ab omnibus casibus, & censuris in *dicta Bulla* contentis; ita etiam id ipsum indulsisse censeri impeditis.

Et tales impediti adeo absolui possūt per aliū, quā per Romanū Pōtifice à casibus, & cēsuris Apostolicæ Sede reseruatis, vt nō teneantur ad ipsum Pontificem Procuratorem mittere; vel nuncium, qui eorum nomine vices gerat in petenda absolutione; quoniam à iure ad id non obligantur, vt ex *Nauar. Vgol.* & Alter. ampliat *idem Duardus vbi supra conclus.* 1. *nu.* 21. *Bonacina* tamen *De censuris disput.* 1. *q.* 3. *pun* 2. *num.* 4. negat taliter impeditos posse absolui &c. Quando legatum, vel alium habentem priuilegiū absoluendi adire possunt. Sed quod ad Moniales nostræ Diœcesis spectat, quando ipsæ adeunt Patriarcham, Sedem Apostolicam adire dicendum est, cum circa Moniales ipse sit ipsius Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam priuatiue quoad alios. Extant de hoc particulari *Breuia Leonis X.*

Homo-

Homobonus item Parte 3. *Com. Resolut. cap. 7. & 8.* probat, Moniales ob quęlibet excessum, etiam hæresis externo actu proditæ absolui posse ab Episcopo Diœcesano, vel à confessari de ipsius Episcopi licentia; cum iustum impedimentum Summum Pontificem adeundi subsit, nec Romam mittere, vel scribere ipsæ Moniales teneantur.

Formula pro confessario ordinario, qua vtimur in hac Ciuitate & Diœcesi Veneta, &c.

FEDERICO CARDINALIS ETC.

Tibi de cuius vita, ac peritia nobis satis constat, licentiam concedimus, vt Monialium Monasterij confessiones audire, & sæcularium etiam, si quæ in eodem Monasterio erunt, easque absoluere, præterquam à casibus, & censuris nobis reseruatis, valeas. Ac insuper tibi facultatem impartimur, vt prædicti Monasterij septa ingredi possis; superpelliceo tamen, & stola indutus, & à duabus ex senioribus Monialibus, ad id deputatis, sociatus; ad administranda tantummodo Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis; ac spiritualem opem agonizantibus præstandam; nec non dandam defunctis Ecclesiasticam sepulturam. Ceterum tibi præcipiendo, sub pœna perpetuæ suspensionis ab audiendis Monialium Confessionibus, ne Confessarij extraordinarij petitionem, aut concessionem directe, vel indirecte impedias; aut quocumque modo, vel tempore Monialibus displicere tibi ipsius extraordinarij aduentum significes; neve alicuius Monialis confessionem, aut reconciliationem audias, dum extraordinaria confessio administratur. Præsentibus ad beneplacitum nostrum, & donec reuocentur duntaxat duraturis.

Dat. In Patriarchali Palatio Die Mensis Anno

Debet confessarius ordinarius animaduertere, ei non licere ingredi clausuram Monialium pro tumulandis cadaueribus sæcularium, extat enim prohibitio *Sacra Congreg.* 1593. *Kal. Maij,* *de*

de ore Greg.XIII.Fel.rec. in hęc verba, *Cadauera corũ, qui cupiunt in Monasterijs Monialium sepultura tradi, ponantur in exteriori Ecclesia; non etiam intra clausuram.*

Extant etiam ad Cardinalem Florentiæ de eadem res litteræ Sacræ Congregationis talis Tenoris.

Illustriss. e Reuerendiss. Sig. mio Osseruandiss.

Conforme al desiderio di V. S. Illustrissima si è riferito à Nostro Signore quanto la mi scriue intorno à gli abusi, che sono in cotesti Monasteri di Monache, nelle quali si seppelliscono anco molte persone Laiche; Per il che necessariamente si viola la clausura senza la necessità, che in ciò si ricerca. Sopra di ciò sua Batitudine hà commesso che io scriua à V.S. Illustrissima, che non comporti in modo alcuno quest' abuso, con prohibire con quelle pene graue, e censure, che farà bisogno, che nelli detti Monasterij non si seppellischino altri, che le Monache istesse. E per fine bacio humilmente à V. S. Illustriss. le mani, raccomandandomeli in gratia.

Di Roma il 1. *di Marzo* 1585.

Ita reperiri in Registro literarum, & Decretorum S. Congregationis Card. *negotijs Regulariũ præposita. Die* 18. *Ianuarij* 1633. Roma *ad Eminentissimum & Reuerendissimum Cardinalem Cornelium Patriarcham* scriptum fuit.

Notandum est hic, In sepultura Monialium nullum ius competere Parocho, sed tantum confessario. *Congr. Ep.* 17. *Ian.* 1603.

A Torniellus Prosegretarius.

Confessarius item non potest ingredi clausurã ad aspergendã domũ in Sabbato sancto, neque alio die *Congr. Episc.* 4. *Sept.* 1596. Merito igitur Eminentiss. & Reuerendiss. D.D. Cardinalis Cornelius Patriarca prohibuit huiusmodi aspersionem in Epiphania in nonnullis Monasterijs, vbi vigebat hic abusus. Nõ potest item ingredi ad celebrandam Missam in Infirmaria Monialium *Congreg. Episc.* 22. *Augusti* 1605.

FE-

Pro confessario extraordinario.

FEDERICVS CARDINALIS ETC.

T Ibi de cuius vita, ac peritia nobis satis constat, licentiam impartimur, vt Monialium Monasterij Confessiones extraordinarie audire, & sæcularium etiam, si quæ in eodem Monasterio erũt, easque absoluere, etiam à casibus, & censuris nobis reseruatis, possis, & valeas; cum facultate insuper prædicti Monasterij septa ingrediendi, in casibus confessario ordinario permissis, seruatis tamen omnibus, quæ ipsi præscripta sunt. Declaramus autem, in arbitrio cuiuscumque Monialis esse, si extraordinarie voluerit confiteri; dummodo omnes, & singulæ coram te humiliter se sistant. Quod nos stricte ipsis mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub alijs pœnis arbitrarijs, attentis circumstantijs contumaciæ. Præsentibus duraturis.

Dat. In Patriarchali Palatio Die Mensis Anno

FEDERICO CARDINALI ETC.

Alla Veneranda Madre

P Er soddisfare al Santissimo Decreto del Sacro Concilio di Trento, e per fauorir la libertà circa il confessare i suoi peccati, habbiamo destinato per Confessore straordinario del vostro Monasterio Però vi diciamo, ch'è nostra volontà, che tutte le Monache gli comparischino dinanzi, e si fermino per tutto quello spazio di tempo, che parerà à detto Padre Confessore, se bene non si volessero confessare, stando ciò in arbitrio d'esse Monache. E tutto questo comandiamo sotto precetto di santa obbedienza, e sotto altre pene giusta la contumacia; con l'obligare insieme voi Madre Superiora à farci intendere, se per sorte vi fosse alcuna, che ricusasse d'obedire; ouero procurasse con fatti, ò con parole, che alcuna Monaca non si confessasse dallo straordinario, che gli mandiamo. E perche procedi il tutto senza confusione, si presenti al detto Padre

Padre Confessore la Tauoletta, doue per ordine stanno registrati i nomi di tutte le Monache; & niuna Monaca, se non in caso di qualche vrgente necessità, si confessi dal Confessore ordinario, se prima non hauerà finito lo straordinario. E vi benediciamo insieme con tutte l'altre Madri.

Data nel Patriarcato il giorno del Mese 163

Instructiones pro Confessarijs Sanctimonialium.

1 LIbet hic pro coronide ponere aliquas pro confessarijs Monialium Institutiones ex *Barchio*, *& alijs*. Primum enim omnium, quicumque à Superioribus ad audiendas sanctimonialium confessiones est delectus, omni prouisione animi cauere debet, ne id muneris suo potius ipsius studio, autore, aut inani quadam sui existimatione, & nimia æstimatione, quam obedientiæ ijs, quibus debet, præstandæ, & in sua vocatione ambulandi, voluntate suscepisse videatur, ad quam omnes ipsius cogitationes, affectus, dicta, & acta cum sint referenda, atque dirigenda, in eo plurimum statuere debebit, vt ab omnibus intelligatur, se ad negotium tanti ponderis, quantum est operam nauare Monialibus, ad virtutum perfectionem, & absolutionem per rectas confessiones, & spirituales admonitiones atque præceptiones, quoad eis fieri possint, perducendis, vocatum partes suas diligenter obire.

2 Si adhuc intra iuuentutis annos sua versabitur ætas, vsuque rerum propterea, & experientia vacabit, se consilio, ope, & ductu seniorum, qui in audiendis Monialium confessionibus maxime sint versati, indigere intelligat, & ea de re illos persæpe in consilium adhibebit; Ac quemadmodum medici studium in experimento, & praxi duos saltem annos, antequam ad exercendam ipsam artem aggrediantur, ponere solent, ita, atque adeo multo magis iuuenes, qui sunt à confessionibus, cum senibus agere, & ab ijs alienas coscientias moderandi, & controuersias, quæ suboriri possunt, explicandi, doctrinam percipere oportet. Diuus

Augustinus *Epist.75. ad Auxilium episc.* se quamuis Episcopum veteranum,& ętate etiam prouectum,à iuniore tamen,& à quouis collega suo, vel vnius anni Tyrone, & nouitio, ad disciplinam omnium rerum, quæ ab eo tradi possent, suscipiendam,paratum esse sæpe numero dicebat.

3 Cum multæ in huiusmodi officium periculi circumstātiæ occurrant,ne quid offendatur, prudentia in his, quæ pertinent ad spiritum, non parua postulatur; Cum enim de optimo Monialium spirituali Patre sermo est, non bonus quidam dumtaxat vir, & tantummodo doctus intelligitur, sed cordatus, & prudēs, quique in hoc officij genere Lynceus videatur.

4 Oportebit igitur frequenter in diuinas se præcationes effundere, vt Dominus ei suum spiritum immittat,qui illum moueat, & præcipuo quodam munere, & singulari gratia illi præmonstret, qua ratione eas animas recte dirigat,atque gubernet.

5 Tentationes in se ipso, vt superet, curabit, quo Sacræ Virgines à se capiant exemplum, quomodo illas certare,certantesque in semetipsis palmæ,& victoriæ compotes fieri oporteat. Præstabit, vt exempla submissionis, humilitatis,patientiæ, mansuetudinis,& erga maiores,atque superiores obsequij, & obedientiæ in se ipso compareant, & præfulgeant.

6 Ad subsellium, vnde audiuntur confessiones, plurimus non accedet, ac quamdiu ibi erit, cum Sacris Virginibus perinde aget, ac si tunc primum ad eas venisset, & numquam alias cum illis sermonem habuisset;sic enim fiet,vt vnius eiusdemque Monialis Sacram confessionem omni pietate, & perpetuo religionis exemplo ad multos annos possit audire.

7 Curabit omnino,vt Moniales in suum,tamquam in Dei conspectum prodire assuefaciat; non quidem vt nugas dicant, se ipsos laudent,probent,aut alienos defectus enuncient,& palam faciant,aut alia id genus absurda, inepta, & importuna agant; sed vt pure integreque sibi admissa peccata confiteantur.

8 In Confessionibus tempus, quam æquissime poterit,omnibus distribuet,quod si aliqua maiori auxilio indigebit,quam alia,ei ita prudenter,& circumspecte opitulabitur, vt aliarū rationibus,

& vti-

& vtilitati non obstet, & ne minimam quidem occasionem mali rumoris afferre possit; cum id intueri, & spectare debeat, vt non solum omnibus idem sit, nullo habito discrimine, sed etiam vt omnes compertissimum habeant, ipsum ab hoc alienissimũ esse.

9 Magnopere declinabit, euitabit, atque prorsus abhorrebit, ne vlla eius peculiari amore illaqueetur, & teneatur; Quod si id illi, aut ex verbis, aut genere sermones, aut alio argumento coniectura assequi, & præsagire fuerit, protinus huic morbo, adhibita libertate orationis, & pondere, medicina faciẽda est; sic plane, vt sanctimonialis ad sanitatem redeat, & se totam ad Deum conuertat.

10 Iudicium, & prudentiam huc intendat suam, ne vllius sacrarum virginum præcipuo, & singulari studio, atque amore afficiatur, vt potè commendatione sanctitatis, religionis, aut egregiæ indolis, aut probi exempli; Asseuerat enim *D. Thomas opusc. 64.* amorem spiritualem, & sanctum, nisi summa animi vigilantia, & cordis custodia fuerit adhibita, in corporeum, & carneum mutari; Adde, quod ceteris id sororibus est offensioni.

11 Monialibus sacras conciones ipse non habeat, nisi sit summa inopia eorum, qui verbum Deus illis enuncient; Tunc de virtutibus tantum, non de vitijs verba faciet; votorum vim, & obligationem in vniuersum exponere poterit, aut generatim peccatum exagitare, & vituperare, aut aliquod Domini nostri passionis mysterium sumere, aut vitæ sanctissimæ Deiparæ Virginis, aut bonum exemplum sanctorum virorum, aut cetera id genus, nihil singulariter tangens, quod ad Monasterium pertineat, siue malũ, siue bonum id fuerit, & numquam se ab ipsis vlla in re offensum indicans.

Curabit tamen ipse confessarius, doctos, prudentes, ac pios concionatores pro suis Monialibus habere; qui bis saltem in singulos menses Dei verbum prædicent ipsis, easque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & sempiternam saluté consequendam pertinent. Sic Cardinalis noster Eminentissimus Prædicatori in Ecclesia Monialium prædicandi licentiam concedit.

FEDERICUS ETC.

Tibi cuius morum honestas, ac sacrarum litterarum peritia nobis nota sunt, facultatem concedimus, vt in Ecclesia exteriori Monasterij Monialium Monialibus ipsis, in communi, & in interiori Ecclesia congregatis, Verbum Dei è suggestu, vel ex Altari, & non aliter, prædicare libere & licite possis; dummodo peracta concione, à quocumque singulari colloquio, spiritnali etiam, cum aliqua ex Monialibus habendo abstineas; ne pœnas contra Regulares alloquentes Moniales sine licentia inflictas incurras, & lethali crimine vna cum ipsa te abstringas. Præsentibus duraturis.

12 QVando confessarius extraordinarius ad eius Monasteriũ missus fuerit, longe ipse abcedet, nec in conspicuum prodibit, donec ille discesserit.

13 Extraordinarius confessarius diuinæ gloriæ, & animarum salutis zelo, & amore ardens, antequam ad Monasterium sibi assignatum accedat, cum Monialium Vicario aget, vt obstacula, & impedimenta, quæ ibi sunt, ab eo cognoscat; quæ in causa sunt, quominus illius Monasterij Moniales ad perfectionẽ religionis tendant, quemadmodum illarum officium postulat, atque adeo eflagitat; atque vt ea pariter moneatur, quæ sibi adiumenti esse poterunt, vt prauos habitus euellat, & veram religionis obseruantiam inferat.

14 Antequam Monialibus aures præbeat, Præfectam alloquetur, vt quæ capita regulæ seruentur, quæ negligantur ab ea cognoscat, & leges à Superioribus sancitas, & omnia, quæ ad religionem necessaria Monasterium requirit.

15 Non se confessario ordinario, & multo minus sanctimonialiũ Vicario intimum, & familiarem indicabit.

Tuebe-

16 Tuebetur omni studio, & quoad eius facere poterit, ordinarij confessarij fidem, & auctoritatem, eamdemque augebit. Qua de re nullum eius dictum, aut factum vmquam carpet, exagitabitque; quod si aliter facere non poterit, non omittet saltem illum purgare, ac defendere, & subleuare, cum dicet, non satis dilucide eius verba intellecta fuisse; aut alia id genus in medium proferet.

17 Excusabit prudenter, non solum confessarios ordinarios, vti diximus, sed etiam alios, tum internos, tum externos superiores, & à calumnijs à perturbatis animis persæpe prodeuntibus vindicabit, sciens nihil esse facilius, ac frequentius in Monasterijs, quam subditas contra Superiores niti, ac de ijsdem conqueri. Denique ita se gerat, vt veræ charitatis nexibus cum seco coniunctas suis Superioribus, & confessarijs ex animo obsequentis, nec non concordes Virgines Deo Sacras in pace relinquat.

Tandem dicamus cum *D. Anton. 3. p. tit. 20. c. 2. §. 3.* Quod confessor Monialibus tribuendos est, qui non solum sit honestus, sed etiam sciat, quæ spectat ad vitam religiosam, vt valeat eis facere conscientiam de transgressionibus suis, prout decet. De qua quidem materia ab Episcopis, & eorum examinatoribus interrogandi, ac examinandi sunt. Quod si præ idoneorum penuria adhuc rudis, ac iuuenis Sacrarum Virginum confessionibus audiendis præficiendus sit, ipse consilio, ope, & seniorum ductu se muniat, & illorum prudentiæ innitatur, qui in huiusmodi munere, tam theorica, quam practica scientia sunt versati; si quidem ex Menandri sententia, sapiens eris, sapientibus sæpe assidens.

Duo alia monita ipsis Monialium Confessarijs dari possunt.

1. Quod ad sacramentorum frequentiam ipsas Moniales efficaciter adhortari tenentur, dummodo in hoc non sint nimij, maxime in concedenda quotidiana communione, quam concedere nullo pacto debent alicui ex Monialibus in consulto Episcopo.

2. Quod

2. Quod cauere summopere debent, ne verbis, aut signis, vel quouis alio modo peccata in confessione audita prodât. Nec audiendi sunt, qui asserere non dubitant, Monialium Confessarios posse, immo & debere ipsarum Monialium peccata Superioribus in communi propalare, ad eos in regimine externo adiuuandos. Debent igitur dicti Confessarij ita prorsus in omnibus casibus se gerere, ac si in confessione nihil audiuissent, sibique persuadere, vt humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere; & hanc fuisse mentem *Clementis VIII.* constat ex *Decreto* illius de casibus reseruatis facto pro Regularibus *ann.* 1594. *die* 20. *Mensis Maij*, ibi, Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui postea ad superioratus gradum fuerint promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Caueant igitur Monialium Superiores, ne Monialium confessarios de statu animarum sibi commissarum, & Monasterij interrogent; quia sic læditur honor sacramenti; quia non tã fideliter, ac frequenter ad illud homines accedent, si sciant, aut vereantur inde sibi malũ aliquod euenire posse, læditur quoque fama pænitentis, quia si in generali defectus alieni in cõfessione auditi propalari possint, periculum est, vt cognoscantur pænitentes auctores criminis. Quæ omnia in omnibus pœnitentibus accidere posse timendum est, sed maxime in Monialibus, quæ ob sexus fragilitatem timent etiam vbi non est timor, nec minus vmbra timoris.

Posset tamen Monialium Confessarius absque reuelatione sigilli reuelare Superioribus peccata ipsarum Monialium, quæ in confessione audiuit, si aliunde extra cõfessionem illa sciant, dummodo nihil certius affirmet, quam ex alia notitia agnoscat; quia alias sigilli violator esset. An vero etiam debeat id agere, affirmatiue respondendum, si peccata scilicet surgant in perniciem, & dedecus Monasterij, & non sint emendata. Ego tamen consulerem hunc confessarium, non per se, sed per aliam personam piam, & religiosam hoc officium præstare, ad vitanda scandala, quæ hinc oriri possent, si Moniales in cognitionem deuenirent,

quod

(quod facile potest accidere) confessarium eorum peccata Superiori propalasse, nullus enim ipsis vmquam persuadere posset confessarium illa extra confessionem audiuisse; sed firmiter crederent, confessarium violasse sigillum, & ideo confessionis sacramentum apud ipsas tam odiosum fieret, vt aliquæ potius eligerent damnari, quam illi confessario denuo confiteri. Talia sunt vt plurimum mulierum inclusarum ingenia.

Apponamus etiam hic ex *Gauanto, & alijs* nonnulla obseruanda in Visitatione Monialium.

1. Statuta. Obedientia. Paupertas. Castitas. Clausura. Circuitus murorum intra septa. Sacramentorum frequentia. Chori disciplina. Silentium in choro, Dormitorio, & Refectorio. Oratio mentalis. Ieiunia. Flagella. Officia, & labores communes. Lectio ad mensam. Comites in loquutorio. Laici sine licentia. Crates apertæ in Quadragesima, & Aduentu. Electio officialium. Largitio munerum. Victus communis. Epistolæ. Redditus. Onera. Satisfactio. Capitulum culparum. Negotiorum. Rationes dati, & accepti. Hæc in communi.

2. Examinatur vnaquæque de Nomine. Cognomine. Patria. Professione. Aetate in Monasterio. Dote allata. Renunciatione. Choralis, an conuersa sit. Officium diuinum, vel quid eius loco. Munus, & officium. Cella separata. Exercitia Monasterij communia. Anuli. Comæ. Chirothecæ. Canes. Aues. Speculum. Instrumenta musica.

3. De Prælata. Officialium moribus. Magistra Nouitiarum. Vicaria. Discretis. Sacristiæ Præfecta. Ianitrice. Oeconomica. Auditricibus. Rotarijs. Officialibus minoribus. Et præsertim super prædictis *nu.* 1. Item de confessario ordinario, & extraordinarijs.

4. Antequam visitator visitationem aggrediatur, præteritorum visitationum decreta, indices, & alia, quæ à Præfecta præparata erunt, diligenter videat, atque consideret. Interroget in præsentia aliquorum, qui sint maturi, & modesti; & qui defectus occultos, quos audiunt, alijs nō reuelent; vel in præsentia Notarij; quia visitan-

visitanti soli non creditur; sed vel Notarius, vel alij si fieri potest; ita intersint, vt eos Moniales adesse non cognoscant.

5. Tandem animaduertendum est, visitationem localem vtilius regulariter fieri paulo antequam auricularis, siue personalis absoluatur. Et si aliquis ipsam impedire præsumpserit, nisi monitus resipiscat, excommunicationem ipso facto incurrere. *Clem. fin. de stat. Monac. & ibi Card.* Et monitio vnica sufficit; sed debet fieri per visitatorem, & non per alium post impedimentum, & sufficit vna talis monitio.

Quomodo se gerere debeat Superior in Inquisitione delictorum Monialium, dum ipsas, earumque Monasteria visitat.

1. Tribus modis potest Superior inquirere de delictis Monialium. Primo in generali tam ex parte delictorum, quam Monialium, vt quando ipse visitans interrogat, an in communitate sint aliqua crimina, vel an leges, & statuta seruentur, vel an sciatur aliquam ex Monialibus commisisse aliquod crimen, &c. Et hic modus inquisitionis est per se iustus, nullamque aliam circumstantiam præ requirit preter ius, & actum visitandi; quia per illum modum interrogandi nulli fit iniuria, & est moraliter necessarius ad inchoandam visitationem; nam illa interrogatio nō est proprie actus iudicialis, sed generalis gubernationis, & quasi præambulum quoddam ad iudicium, si necessarium fuerit.

2. Fit secundo inquisitio per interrogationem specialem ex parte delicti, generalem vero ex parte personarum; vt si superior interroget, an sciatur, aliquam, Monialem in hoc Monasterio habere proprium, vel aliquid cōtra honestatem perpetrasse, vel similia. Et hæc inquisitio conuenit cum præcedenti, quod sine vlla præcedente infamia personæ alicuius fieri potest; quia cum de nulla persona in particulari fiat interrogatio, nulli fit iniuria, etiamsi infamia non præcesserit. Et ita quotidie fit ab Episcopis, & alijs visitatoribus.

3. Nihilominus tamen circa hunc secundum modum aduertunt auctores, non debere vsurpari, præsertim in Monialibus, nisi speciale

ciale delictum, de quo interrogatur, præcesserit, vel de illo sit cōmunis rumor, & suspicio, quamuis de auctrice nec infamia, nec notitia sit; quia vbi nullus rumor de delicto etiam præcessit, nonnulla iniuria videtur fieri communitati eo modo interrogando; quia eo ipso videtur generari suspicio aliquid huiusmodi in tali communitate factum esse.

4. Tertio potest inquisitio fieri in particulari de tali Moniali, quæ etiam potest fieri in particulari de tali delicto, vt an soror Lucia clausuram violauerit, vel in generali, an commiseret aliquod delictum graue. Et vterque modus comprehendi solet sub inquisitione particulari, de qua communis regula est, non licere huiusmodi particularem inquisitionem, nisi de tali Moniali præcedat infamia proportionata delicto.

5. Hinc sequitur, in huiusmodi visitationibus non teneri Monialem interrogatam etiam sub iuramento ad manifestandam eam, quam deliquisse nouit, quando adeo occulta ipsa est, vt nulla infamia laboret. Et ratio est, quia Iudex non potest de tali Moniali iuridice interrogare, neque alia tenetur respondere, Monialem illam manifestando. Vnde licet Prælatus absolute interroget, semper subintelligitur, an Monialis sciant delictum de aliqua Moniali, quæ de tali delicto infamata sit.

6. Sed notandum est, quod si Prælatus deposito Visitatoris iudicialis munere (vt sic dicam) postulet, vel præcipiat sibi, vt patri, & in ordine tantum ad emendationem secretam denunciari ea, quæ ad bonum communitatis opportuna fuerint, possunt, & debent Moniales, supposita morali fide de recta intentione Prælati, illi obedire.

7. Potest tamen in duobus casibus delictum sororis denunciare, licet non præcesserit infamia. Primus est, quando delictum vergit in damnum communitatis, & facile potest alios inficere. Alter casus est, quando Monialis secreto monuit deliquētem sororem, & non potuit illam emendare.

8. In quibusdam Religionibus, vbi studium est perfectionis, moris est ante priuatam monitionem, denuntiare fratres: Ratio

est, quia in Religionibus, vbi ista consuetudo est, censentur Regulares renuntiasse iuri suo quoad læsionem famæ, quæ contingit prætermisso ordine fraternæ correptionis, eo ipso quo tale institutum suscipiunt. Nec id est contra præceptum Domini de correptione, vt latè probat *Greg. de Val. 3. par. disputat. 3. quæst. 10. punct. 5.* & fauet etiam *Bannes* citatus ab ipso.

9. Ad nullius etiam Senioris, & discretæ Monialis delationem iudicium firmare debet Superior, nam & falli Monialis cetera probatissima, & in errorem ab alia adduci potest; cum optima quæque Religionis suæ zelo per facile in errorem inducatur. Facit hoc amor, dum enim damna metuit, imminentia credit.

10. Nusquam è nudis delationibus ad aliquid opere explendum procedat ipse Superior. Quid enim si post hęc innocentem ream deprehendat? Quanta conscientiæ inquietudo insurgit? cum non raro innocens damnata, mẹrore contabescat.

11. Numquam inaudito rea, quantumuis noxia, certo aliquid apud animum statuat Superior. Nihil commoto recenter à delationibus animo peragere debet, cum fere in animo commotiore prudentiæ locus non sit.

12. In omni delatione persuadet Superior sibi, posse delatricem falli, seu visa, seu narrata deferat. Delatione facta tacitus secum consideret Superior, num quæ inter deferentem Monialem, aut ream æmulationis causa intercurrat.

13. Vocet deinde ad se ream, cui frigide potius, quam calide delata proponat, minuat etiam verbis delictum, humanamque conditionem ad lapsum procliuem adferat, pronumque in ipsam animum ostendat, verbisque è paterno pectore depromptis beneuolentiam iuuet.

14. Si audita delatrix referat, det operam Superior, vt ad primam narrati delicti auctricem deueniat, antequam cũ rea agat. Videat deinde quibus narrationis illius auctrix nitatur, suspicionibusve, & coniecturis nudis, an alijs certioribus: Mores etiam huius consideret, an ad delationem prona, ad censurarum seueritatem, ad res supra veritatem augendas, aut ad alium minus

ordi-

ordinatum affectum; intercedat ne aliquid alienæ mentis, offensa à rea sit.

15. Si delatrix visa à se referat, reaque neget, nec minus hęc fortis in negatione, quàm illa in accusatione sit; post tentatos varie vtriusque animos, si parem in vtrisque verborum constantiam repererit, nec in vlla circumstantia à semel affirmatis, aut negatis deflectentes, poterit canonicam vtrique purgationem imponere.

16. Quod si complicem complex accuset, ingens fidem adhibendi occasio est, ac nisi clare se qui accusatur, purget, vix denegari accusatrici fides potest, cum facta ipsa sit accusatrix sui, quod gratuito nemo prudens facit.

17. Si ipsius Monasterij Prælata sit, quæ accusatur, maiore opus discussione, accurationeque inuestigatione, cum multa ratione muneris in illa sint, quæ æmulationes alienationesque animorum nata sunt producere.

18. Cum mulieres laicæ, etiam de iure canonico admittantur in testes, quando aliter veritas haberi non potest, multo magis admittendæ sunt Moniales contra alias Moniales, cum earum delicta non nisi per ipsas probari valeant. Et licet ex dicto duarum feminarum non possit quis condemnari, vt aliqui sentiunt, hoc tamen non videtur admittendum in Monialibus, quæ sunt religiosæ timentes Deum, & ita duæ sufficienter probant, si alias omni exceptione maiores sint. Sed in hoc sint circumspecti, & prudenter interrogent iudices.

19. Sed notandum est, alios esse contestes alios testes singulares. Contestes sunt illi, qui concordant in facto, loco, & tempore. Vt si duo testes iurent se vidisse sororē Lugretiam alloquentem Antonium talibus verbis, prima die Martij, hora sexta, in loquutorio. Hi sunt contestes, quia in omnibus contestantur, id est concordant. Testes singulares sunt, qui descordant in aliquo, vel in aliquibus illorum. Vt si vna ex Monialibus dicat se vidisse dictam sororem Lugretiam illa die, sed in alio loco, vel alia die; vel dicat, vidisse quidem illud, sed variat, & in die, & in loco, vel

in hora; vel si vna testificetur, alloquutam ipsam fuisse Antoniũ, & alia Petrum; licet alias concordent in loco, & in tempore. Et est communis Doctorum.

20. Si testes concordent in substantia, seu facto principali, per eadem verba formalia, vel æquiualentia, & in loco, & in tempore, licet alias discordent in aliquibus verbis, vel circumstantijs, non desinunt esse contestes, immo illa discordia accidentalis aliquando magis firmat testimonium, testificant enim modo humano.

21. Stando in communi iure, Episcopus, siue Prælatus Ecclesiasticus super Moniales iurisdictionem habens, indicere potest purgationem canonicam Moniali sibi subditæ, infamatæ de non seruanda castitate, si delictum non possit plene probari, & constare de veritate. Hæc conclusio habetur expressa *in cap. Moniales de purgatione canonica.* Non tamen passim huiusmodi purgatio indicenda est.

22. Monialis, cui indicitur purgatio canonica, iurare debet coram Prælato, se non commisisse decessum illud, de quo est infamata, inquisita, denunciata, vel accusata.

23. Ad faciendam purgationem prædictam, debent etiam concurrere aliqui testes compurgatores, qui & iurare debent (non quod rea non commiserit illud delictum) sed quod ipsi credunt, ipsam verum iurasse.

24. Monialis, si in indicta sibi purgatione defecerit, si fueras accusata, punitur tamquam conuicta; si vero inquisita, aut denunciata, erit punienda pœna arbitraria.

25. Aduertendum est, nullum in visitatione exigi posse iuramentum ab interrogandis, extat text. expressus in Capitulo Romano cit. de cens. in 6. §. sanè. Modus autem interrogandi in visitatione est, an sciant, aut credant, aut fama sit.

26. Visitans Episcopus Monasterium Monialium, potest quidem Moniales monere, vt reuelent ea, quæ correctione, & emendatione indigerent, sed hoc præstabit sine excommunicatione, nam ita censuit *Sacra Congregatio.*

Tan-

27. Tandem sciant Episcopi, quod satius est, ipsos in visitationibus Monialium procedere erga ipsas, tamquam Patres, quam tamquam Iudices, dummodo causæ sint leues, aut etiam graues, non autem scandalosæ. Curare igitur quam maxime debent, vt omnia paterna charitate fiant, & benigne, & charitatiue eas corrigant, iuxta sua regularia statuta; simpliciter, & de plano absque omni prorsus ordine iudiciario; omnino nihil de pœna, aut supplicijs cogitando (si fieri possit) sed sollicite curando ipsarum mederi vulneribus, & vt conuenienti modo in officio ipsæ contineantur, & vitia omnia ab illis radicitus euellantur.

28. Pro quo facit illud, quod habetur *in capit. licet plerumque dist.* 5. quod est *Diui Gregorij in Epist. ad Episcopos per Galliam, & Germaniam Constitutos*; & est quidem adhoc propositum valde notandum, cuius sunt quæ sequuntur verba. Licet plerumque accidant in sacerdotibus (dicamus nos in Monialibus) quæ sunt reprehendẽda, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quam seueritas, plus cohortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas, cum nemo nostrum sine peccato viuat.

29. Quæ supradicta verba ad litteram extracta sunt à *Sacri Concilij Triden. Patribus, & allata sess.* 13. *cap.* 1. *In Decreto de Reform.* agendo de Prelatorum officio, & suorum subditorum correctione, vbi etiam post alia sequentia habentur verba. In primis Prælatos omnes Concilium admonendum censet, vt meminerint se esse Pastores, atque ita oportere præesse sibi subditis, vt non in eis dominentur, sed illos tamquam filios, & fratres diligant; elaborentque vt hortando, & mouendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint eos debetis pœnis coercere cogantur. Quos tamen si per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli præceptio ab eis seruanda est, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia; cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.

Post

Post quæ addita ibidem. Si autem ob delicti grauitatem virga quandoque opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disciplina salutaris, ac populis necessaria conseruetur.

FINIS.

Laus Iesu, Mariæ, Hieronymo.